BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXVI
B
17
NAPOLI

Digitized by Google

B 17

Digitized by Google



# INSTRVCTIO PRINCIPVM

## ETHICE, OECONOMICE, AC POLITICE

Scripta

PER R. P. F. IOANNEM
à Ieſu Maria Carmel. Diſcal-
çeatum Calaguritanum,

*Congregationis ſancti Eliæ Præpo-
ſitum Generalem.*



R O M AE,
Apud Iacobum Maſcardum.
M. DCXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

*Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſſ. P. M. Sacri Palatij Apoſtol.*

Cæſar Fidelis Viceſg.

Approbatio R. P. S. Theologiæ magiſtri Fr. Ioannis Petri Grimaldi Carmelitæ Collegii D. Mariæ Traſpontinæ Regentis.

LIbellum ſanè aureum (quippe qui licet ſit exiguus maximo tamen cuicumq. valori præponderat) cui titulus eſt inſtructio Principum per Reuerendiſs. P. F. Ioannem à Ieſu Maria Carmelitam Diſcalceatum Congregationis S. Eliæ Præpoſitum Generalem minime vulgariter conſcriptum ex commiſsione Reuerendiſsimi P. F. Ludouici Yſtellæ Magiſtri Sacri Apoſtolici Palatii, non minori cum voluptate quàm attentione perlegi, in quo tantùm abeſt, vt aliquid offenderim, quod orthodoxæ fidei, bonisue moribus aduerſetur; vt potius illum vniuerſis Principibus fidelibus ad facilem propriæ ſalutis conſecutionem, & fœlicem Reip. chriſtianæ adminiſtrationem valdè perutilem, & fermè neceſſarium, exiſtimarim. Quem vtinam Principes cuncti ſemper præ manibus habeant, attenti percurrant, ad illius normam vitam componant; reuolutis enim aureis iterum ſæculis frueremur.

Non igitur detinendus ne publicè prodire poſsit, imo vt ita dicam eſt cõpellendus, ne tanto communi bono Politia ciuitatis Dei vel per breuem temporis morulam caruiſſe conqueratur. Datum Romæ in Collegio D. Mariæ Traſpontinæ die 19. Nouembris 1611.

Frater Ioannes Petrus &c.

*Imprimatur.*

Fr. Damianus à Fonſeca M. & Socius Reuerendiſſimi P. Fr. Ludouici Yſtella Sacri & Apoſtolici Palatij Magiſtri Ordinis Prædicatorum.

SANCTISS.MO D. N.
# PAVLO V.
PONT. MAX.

F. Ioannes à Ieſu Maria Carmelita Diſcalceatus Fœlicitatem.

M*IROR Beatiſſime Pater, humanitatem planè raram, qua Congregationem noſtram complecteris. Nequeo vel affectum verbis æquare, vel munera, quibus noſtros homines auges, epiſtolæ anguſtia percenſere. Sanè dum pontificiam ſublimitatem contemplor ad res noſtras adeo pronam, nouis ſubindè vinculis nector, aſtringorq. ad aliquod grati animi ſignum palàm*

*exhibendum. At nihil ſuppetit dignum, quod ſiue pro tua, ſiue pro ampliſſimi Cardinalis Burgheſij nepotis tui beneficentia, ſiue pro Excellentiſſimi Principis Marci Antonij nepotis item tui, tenellam ætatem mentis maturitate ſuperantis propenſione, crebro ad noſtrum cœnobium acceſſu teſtata, referam. Nuncupo tamen tibi, Pater Beatiſſime, qualecumq. ſcriptum hoc Principum moribus, aulæ, ac Reip. deſtinatum, quod auguſtiſſimo nomine tuo inſignitum, nepotibus primùm tuis, mox cæteris Principibus vtcumq; proficiat. Et quidem ope cæleſti profuturum ſpero, cum neq; ex Platone, neq; ex Ariſtotele, neq; ex aliјs, qui politicè ſcripſerunt capita difficilia*

*peti-*

*petinerim, vel parùm vtiles Monarchiæ, Ariſtocratiæ, vel Democratiæ diremerim controuerſias; ſed ſalutaribus conſilijs, quæ hinc inde contraxi, per locos certos, ſedeſuè digeſtis, id præſertim molitus ſim, vt cum prudentia pietatem conciliarem. Munus profectò diſpar eſt: ecquis enim poſſit Pontifici Maximo par munus offerre? Verùm ad pedes tuos prouolutus oro, Pater Beatiſſime, laborem hunc non mea diſparitate, ſed immenſa voluntate metire: egoq. diuinam maieſtatem, cuius vices in orbe terrarum geris, impensè precabor, tanti Pontificis vitam cœleſtibus donis cumulatam ad Eccleſiæ bonum diutiſſimè protendat.*

# PRÆFATIO.

SCRIPTVM hoc Principibus cōmunis boni ſtudio deſtinatum conſilia ſelecta compendio tradita complectitur, ethica ſiue moralia, quæ ad Principum ipſorum mores, œconomica, quæ ad domus, ſiue aulæ moderationem, politica, quæ ad Reip. gubernationem conferunt. Nihil hìc carpitur, ſed monetur, vt Principes, quos ætas noſtra pijſſimos, ac prudentiſſimos nacta eſt, in promptu habeant, quæ ſpatio temporis exiguo, oculis ſaltē luſtrata imprimantur animo, ad euentus varios, velut à fonte in areas aptè diſcretas prudentiæ ſulco ducenda. Et primùm quidem libro vno præſcripta ſunt, quæ ad Principes penè omnes (paucis monitis exceptis, quæ non æque omnibus congruunt,) vniuersè pertinent: mox libro altero ſubiecta nonnulla monita eccleſiaſticis peculiaria, quæ ampliſſimo

Chriſti

Chriſti regno conſentiant. Opus certè conſultò modicum eſt: viſum quippe, ſat fore Principibus, viris nimirum ſapientibus, capita pauca, & breuia indicaſſe, quæ ipſi ponderent, ac introſpiciant: neque enim grandia, & importuna volumina ijs, quibus vix tempus exiguum ſuppetit, obtrudere decuit. Pauca ſanè ſunt, at ſalubria: vbi opera nauata eſt, vera pietas cum recta gubernatione coaleſcat. Legant ergo Principes candidè, quæ ſyncerè deprōpſi: & ad diuinæ maieſtatis gloriam, ſuamq. ſalutem vtantur, vt volent. Profectum religionis, & gubernationis exopto. Huc incubui, quoad potui. Iam verò, vbi erratum eſt, ſcriptori ingenuè parcatur. Ego interim clementiſſimum Deum, per quem Principes imperant, quàm potero enixè, precabor, Principum chriſtianorum animos heroicis virtutibus exornet.

# INDEX

## *Liber primus de Principibus in commune.*

### Ethica Principum moribus perficiendis deſtinata.


*Perfectæ vitæ inſtitutio. cap.*1. pag.1.
*Crebra diuinæ maieſtatis cogitatio,c.*2. 2
*Dei cultus internus.cap.*3. 4
*Dei cultus externus.cap.*4. 6
*Meditationis cura.cap.*5. 8
*Moderatio paſſionum.cap.*6. 10
*Cultus virtutum.cap.*7. 12
*Verba qualia.cap.*8. 13
*Intuitus qualis.cap.*9. 14
*Audientia qualis,cap.*10. 16
*Inceſſus qualis.cap.*11. 16
*Corporis cultus qualis.cap.*12. 18
*Menſa qualis.cap.*13. 19
*Animi remiſſio qualis.cap.*14. 20
*Colloquia qualia.cap.*15. 20
*Amicitia qualis.cap.*16. 21
*Modus agendi qualis.cap.*17. 22


### Oeconomica moderationi aulæ Principum deſtinata.


*Oeconomiæ diſtinctio.cap.*1. 24
*Accurata liberorum educatio.cap.*2. 25
*Qua litteratura liberi inſtruendi.cap.*3. 26
*Quibus præſertim virtutibus liberi ornandi. cap.*4. 28
*Famuli quales.cap.*5. 29


Cor-

*Corporalia liberorum, & ingenui famulitij exercitia.cap.6.* 30
*Currus & equi.cap.7.* 33
*Aula.cap.8.* 33
*Oratorium.cap.9.* 34
*Sacellum.cap.10.* 35
*Bibliotheca.cap.11.* 36
*Apparatus aulæ.cap.12.* 37
*Veſtibuli laus.cap.13.* 38
*Horti.cap.14.* 38
*Scrutinium aulæ.cap.15.* 40

Politica tripartita Reip.gubernationi deſtinata.

Pars prima Politicorum, quæ prænotiones, & præcipua quædam monita, complectitur.

*Politicæ doctrinæ diſtinctio.cap.1.* 41
*Politicæ doctrinæ ſcopus.cap.2.* 43
*Studium pacis.cap.3.* 44
*Belli fuga, & vſus.cap.4.* 46
*Conſilij æſtimatio.cap.5.* 48
*Legiſlatio.cap.6.* 50
*Prouidentia.cap.7.* 51
*Decernendi modus.cap.8.* 52
*Delectus miniſtrorum.cap.9.* 53
*Regendi modus.cap.10.* 54

Pars ſecunda Politicorum.

Virtutes, quæ à Principibus præſertim colendæ ſunt.

*Obſeruatio.cap.1.* 56
*Studium prudentiæ.cap.2.* 56
*Prudentia erga Principes alios.cap.3.* 59
*Prudentia erga ingenuos.cap.4.* 61

*Pru-*

*Prudentia erga plebeios.cap.5.* 63
*Religio.cap.6.* 63
*Iuſtitia.cap.7.* 64
*Clementia.cap.8.* 66
*Liberalitas.cap.9.* 67
*Fortitudo.cap.10.* 68
*Patientia.cap:11.* 69
*Magnanimitas.cap.12.* 70
*Magnificentia.cap.13.* 71
*Miſericordia.cap.14.* 71

## Pars tertia Politicorum.

Vitia, quæ à Principibus præſertim vitanda ſunt.

*Obſeruatio.cap.1.* 73
*Superbia.cap.2.* 74
*Adulatorum conniuentia.cap.3.* 76
*Auaritia.cap.4.* 76
*Prodigalitas.cap.5.* 77
*Ambitio amplioris principatus.cap.6.* 78
*Tyrannis.cap.7.* 79
*Præfatio in pſalmum.71.* 71
*Explanatio in pſalmum.71.* 71

## Liber ſecundus, de Principibus Eccleſiaſticis.

Pars prima de virorum eccleſiaſticorum perfectione.

*Eccleſiaſticus ſtatus expenditur.cap.1.* 121
*Quàm ſit è Rep. virorum eccleſiaſticorum integritas.cap.2.* 124
*Quæ rationes urgeant virum eccleſiaſticum ad vitæ perfectionem exquirendam. cap.3.* 126
*Ecquid ſit virum eſſe perfectum.cap.4.* 128

# INDEX.

*Quanti à Deo fiat eccleſiaſticorum perfectio. cap.5.* 130
*Quid agendum eccleſiaſticis, vt perfecti euadant, cap.6.* 132
*Quænam ſint capita doctrinæ ad perfectionem vitæ parandam requiſitæ. cap.7.* 133
*Quænam induſtria adhibenda ad prædictorum capitum obſeruationem. cap.8.* 137
*Concluſio. cap.9.* 139

## Pars ſecunda de ſummis Pontificibus.

*Pontificum ſtatus. cap.1.* 140
*Antiſtitum creatio. cap.2.* 141
*Cura erga Epiſcopos. cap.3.* 141
*Cura erga Religioſos. cap.4.* 142
*Cura erga concionatores. cap.5.* 143
*Cura erga Sacramenti pœnitentiæ miniſtros. cap.6.* 144
*Cura erga Academias. cap.7.* 145
*Cura erga infideles. cap.8.* 146
*Admonitio. cap.9.* 147

## Pars ſecunda de Cardinalibus.

*Officia Cardinalium recenſentur. cap.1.* 148
*Summi Pontificis creatio perpenditur. c.2.* 149
*Conſiliarij officium æſtimatur. cap.3.* 150
*Admonitio. cap.4.* 151

## Pars tertia de Epiſcopis.

*Commendatur fides in Eccleſiam ſibi creditam. cap.1.* 152
*Epiſcopi prudentia bimembris. cap.2.* 153
*Cleri gubernatio. cap.3.* 154
*Cura erga Religioſos. cap.4.* 156
*Cura ſacrarum Virginum. cap.5.* 158

*Modus*

*Modus agendi cum populi proceribus.c.6.* 159
*Cura Epiſcopi erga Sacramentorum miniſteria.cap.7.* 160
*Cura Epiſcopi erga doctrinæ christianæ rudimenta.cap.8.* 162
*Cura Epiſcopi erga templorum munditiam. cap.9.* 163
*Cura Epiſcopi erga orationem, quæ mentalis appellatur.cap.10.* 164
*Cura Epiſcopi in pauperes.cap.11.* 166
*Commendatur præſentia Epiſcopi in Eccleſia ſibi credita.cap.12.* 167
*Admonitio.cap.13.* 168

## Pars quarta de ſpiritualibus Principum exercitijs.

*Conſilium.* 169
*Directio actuum mane ſummo exercenda. cap.1.* 169
*Orandi modus per horam ſaltem dimidiam. cap.2.* 170
*Sacrificium miſſæ.cap.3.* 171
*Spiritus directio, dum ad negotia gerenda proceditur.cap.4.* 173
*Pius modus ad temperantiam exercendus. cap.5.* 174
*Examen conſcientiæ cap.6.* 175
*Vſus præſentiæ Dei.cap.7.* 176
*Exhortatio ad Principes, vt diuinam gratiam æquo iudicio æſtiment.cap.8.* 178
*Peroratio.* 190

# LIBER PRIMVS
# DE PRINCIPIBVS IN COMMVNE.

## Ethica Principum moribus perficiendis deſtinata.

### *Perfectæ vitæ inſtitutio.* *Cap. I.*

PErfectum virum imperio dignum viuis quaſi coloribus exprimere, nimis operoſum eſt. At cùm ſingulare labor hic operępretium pariat, decet profectò rem tantam propitio Deo moliri, nec animum prorſus deſpondere. Ex ipſo enim exprimendi conatu ſpes oritur ſaltem adumbrandi: vt labor noſter viris pijs, ac ſapientibus probandus ſit. Boni ergo Principis mores pingendi, qui

perfectæ animi,corporiſq. proprij culturæ cõſentiant: Chriſtus quippe ab ſtudio perfectionis Principes neutiquam exploſit. Neque fas eſt, excuſationes varias ipſi prætexant, quaſi meliora conſilia ad eos minimè pertineãt. Ecquid enim Principum ſublimitate dignius,quàm qui populis dignitate multùm antecellunt,vitæ integritate tantũdem excellant? Eximia chriſtianæ perfectionis dignitas,quę Principatum exornat, ob oculos verſetur.

## *Crebra Diuinæ Maieſtatis cogitatio. Cap. II.*

INdomitum mortalium genus eſt,ex quo diuinæ legis iugum excuſſit. Fit autem natura hominis efferatior, dum aſſueſcit imperio. A quo enim coercebitur? Quapropter ſaluberrimum conſi-

lium ſit Principibus,quibus terra paret, caput in cœlum tollant, & caſtum diuinæ maieſtatis timorē ediſcant. Qua de re cùm plurima dici poſſent, illud mihi ſanè mirabile, & chriſtianis Principibus ad æmulationem proponendum videtur, quod ante annos circiter ſeptem de quodam Indorũ Orientalium rege, recentibus hiſtorijs memoriæ proditũ legi. Rex nempe ille ſuperſtitiosè adeò idolum diuinitatis imagine deluſus colebat, vt cũ per ſingulos ferè dies, ternis,aut quaternis horis ius diceret, frequentiſſimo populo ad tribunal confluente, decretos haberet Brachmanas(Sacerdotes videlicet ſuos) qui ei crebriùs, quã credi poſſit, inter ipſos iudicij actus,idoli nomen ſuggererent,vt ne dicendo quidem iure falſi numinis timor intercideret. Quid ergo par eſſet à noſtris effici?Pen-

ſitent rarum exemplum hoc cenſores orbis: qui vtinam haberent fidiſsimum aliquẽ è familiaribus, à quo Dei memoria excitaretur. Profectò pietas hæc in populos tanquàm ſulco ducta permanaret.

## *Dei cultus internus. Cap. III.*

DEi cultus alter internus, alter externus eſt. De interno nunc dicendum, qui ſolet incuria, vel neglectu paſſim interire. Porrò Principes negotia gerunt extricatu difficillima, numero plurima, pondere grauiſſima. Qua ergo ratione his ſe laqueis expedient, rebus modos addent, pericula proſpicient, mala propulſabunt, res fœliciter abſoluent, niſi Deum frequentiſſimè implorent, ac diuinæ ſapientiæ candidiſſimã lucem gemitibus multis expoſcant? Sanè ciuis quidam Roma-

nus Senatu dignus, nunquam in Senatum aſcendiſſe fertur, antequàm in ſacello Iouis diù ſediſſet, quaſi mentem ibi diuinam accepturus. Cur ergo chriſtiani Principes, modico ſaltem ſtudio, diuinæ bonitatis, ac ſapiētię ſcholam taciti non frequentent oraculum cõſulentes, vnde & animos proprios excolere, & bonum commune tueri, ac promouere perdiſcant? Aſſueſcant, precor, viri grauiſſimi cœleſtibus oraculis, multiplici internorum actuum exercitio, vt rectè agant, ſeq. ipſos, dum ſaluti communi nauant operam, ab interitu pręſeruent. Quod ſi à me ſciſcitentur, ecquis internus Dei cultus tantopere commēdatus ſit? reſponſio in promptu eſt. Cultus nimirum internus ex crebra Dei memoria proximo capite laudata, & internis actibus adorationis, fidei, ſpei, charitatis,

Aphricanus Scipio ex Plinio ſecundo, de viris illuſtribus.

alijsq. ſimilibus, ac denique ex perenni auxilij cœleſtis imploratione conflatur. Qua certè in re planè maxima timendum eſt, ne ſegniter verſentur nonnulli orbis terrarum Satrapæ immenſo negotiorum pondere depreſſi.

## *Dei cultus externus. Cap. IV.*

SAnè ſi cultus ille internus ſemel animo hæſerit, procliue erit externum perſuadere. Affectus quippe qui altè inſedit, exerit ſe in exteriores actus ſignis mi nimè leuibus, vnde conijci poſſit, quid intus deliteſcat. Res adeò per ſe honeſta eſt, vt tametſi exẽpla priſca, vel recentia deeſſent, deberet Principum animos perurgere ad pium affectum externè teſtandum. Quid enim, rogo, iacturæ faceret potentiſſimus quiſque Princeps, qui vno, vel altero ſin-

gulari pietatis indicio,præter conſuetos ſibi modos, Deo cultum afferret? Porrò Conſtantinus ille cognomento Magnus,nihil ſe imperio indignum admittere cenſuit, cùm diademate poſito humi iacuit, & mox accepto ligone, ac bidēte,terram in Vaticano eruit. Heraclius quoque, Choſroa Perſarum rege deuicto, nihil maieſtati diſſentaneum ſe gerere opinatus eſt, quod Crucem Chriſti ſuis humeris referret in montem, quò eam primùm Chriſtus ipſe geſtarat. Verùm hæc planè ſint grādia,quę animus audere detrectet: at minora, ſed genere ſimilia cur animus formidet? Huc Sacramentorum frequentia,Sanctorum veneratio,& id genus alia pertinēt. Neque Reip.ex hoc capite timendum; experimentis quippe conſtat frequentibus, teſtatam eiuſmodi actibus Principum pietatem

immenſum calcar populis addere, vt id ſibi nobiliſſimus quiſque honorificum ducat, quod à Principibus cernit honeſtum æſtimari. Si enim quas rex veſtes vſurpat, licèt nec auro intertextas, nec holoſericas primores omnes cupidè induunt; cur non & actus diuini cultus ingenuis viris planè dignos imitentur? Hæc, precor, ſedatis animis expendantur.

## *Meditationis cura.* *Cap. V.*

ERe Principum eſt, modicum tempus quotidie meditationi decernere. Nam prçter propriæ conſcientiæ expiationem, luce diuina illuſtrantur, & negotia fœlicius expediunt, Deo, per ſtatum tempus, propitiato. At tempus, inquiunt, minimè ſuppetit. Verùm obiectio hæc non tam eliden da, quàm contemnenda eſt. Rogo

enim: ſi negotijs multis, quibus diſtinentur, fieret acceſſio vnius, è quò vel honoris, vel auri ſplendor eluceſceret, an obtenderent eam temporis excuſationem? Ipſi certè norunt, ſe negotijs multiplicibus ferme oppreſſos, accedentia negotia neutiquam reſpuere, temporiſq́. reliquias furtim arripere. Cur ergo æternę ſalutis gratia, vel ſuccifiuum horæ quadrãtem conſiderationi non deuoueant? Sint, precor, Principes ſuæ ſalutis, & officij memores; & ſummo ſaltem mane, Principem quendam (Iob ſcilicet, quem regem fuiſſe, non leuis coniectura eſt) imitentur; holocauſtaq́. ſpiritualia immolare non abnuant, quæ ſibi, populisq. proficiant. Erit verò ad rem maximè, ſi in locum aliquem ab ſtrepitu aulicorum remotiſſimum ſe, decretis horis, abdere aſſueſcant. Id autem, quod LXX. Interpret. ita ſenſerunt.

ſummopere in hoc genere commendatur, fidiſſima deſignati tẽ poris quantumuis exigui obſeruatio eſt.

## *Moderatio paſſionum.* Cap. VI.

INter ſæuientes procellas clauũ regere, profectò difficillimum eſt. Ecquando verò Principibus negotiorum fluctus non illiduntur? Porrò perenniter nauigant, & tumentium aquarum vorticibus correpti penè mergũtur. Quocirca tempus debent anteuertere, ac de futuris euentibus cogitare: vt cùm importunè interpellati, cũ parùm liberaliter habiti, cum tædio affecti, alijsq. motibus infeſtati fuerint, appetitum irritatum intra rationis orbitas contineant, & feroces motus ſpei, audaciæ, iræ, cæterarumq. paſſionum, ne ve-

hemen-

hementer erumpant, chriſtiano ſenſu componant. Meminerint ſe mortales eſſe, aliosq. vel æquales, vel maiores, poſt titulos multos, & nominis claritatem, calamitosè interijſſe. Caueant, ne degenerent in Pharaones, Antiochos, aut Nerones. Quicquid agant, iudicio pio temperent: & quamuis paſſiones indomitæ fremant, diuinæ vltionis recordatione, externè ita corpus, geſtusq. moderentur, vt ij, qui cum eis verſantur, nihil turbulentum deprehendant. Non habenda neglectui hæc moralis doctrinæ pars, quæ licet interiores motus non continuò ſedet, ſic tamen externum ſeruat decorem, vt Principes quaſi diuinos homines haud paſſionibus obnoxios populis mirantibus repręſentet. Non huc Ethnicum aliquem intexam, cùm è noſtris non deſint recentia quoque bonorum Principum

exempla. Studium conſulitur,& imitatio, quæ ferarum gentium victorijs antefertur, vt non malè cecinerit ille:

*Fortior eſt, qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit.*
*Mœnia,nec virtus altiùs ire poteſt.*

## *Cultus Virtutum.* *Cap. VII.*

PRæſcribendus hìc virtutum cultus viro bono conſentaneus: vt Princeps ſtatuat, ſe populis non benè imperaturum,niſi animum principio ſuum veris virtutibus excoluerit.Quale quippe ius dicet, niſi ſobrius, caſtus, patiens, mitis, cæterarumq. virtutum, quæ virum bonum efficiant, opes primùm exquirat?Porrò hac virtutum armatura ſeptus facilè ſtruet ſibi gradum ad eas perquirendas, quibus populos moderetur. Labor hic ab ætate tenella

ſubeundus,ne longo temporis excurſu ingenio callus obducatur, qui ne impacto quidem ferro poſſit excindi.

## *Verba qualia.* Cap. *VIII.*

EXpolitus, affectatuſq. ſermo Principum grauitatem,ac dignitatem minimè decet. Habet quippe idiomatis natiui expolitio neſcio quid fœmineum, quod virili animo congruere vix poſſit. Et ſanè quicquid de huius controuerſiæ generè afferatur,exploratum eſt, viros eos, qui comptè dicunt, apud ſapientes in ſuſpicionem incidere,ne forte,qui verborum nitore, artificioq. capiuntur, res grandes, ac ſerias ignorēt, aut leuiter attingant. Sit ergo Principis ſermo,præſertim dùm vulgariter loquitur, ſine affectatione caſtus,& intellectu facilis.

Quòd verò ad ſermonis modum ſpectat parcè, ſedateq. loquatur: ſintq. verba ſuauia, & animi lenitatem præferentia. Verba tamen contumelioſa, violenta vocis contortio, ac vociferatio intemperantis animis indicia planè deformia ſunt, viriſq. fortibus, & magnanimis indigna. Hæc igitur caueant Principes chriſtiani, quos fortitudine, ac magnanimitate decet excellere.

*Intuitus qualis. Cap. IX.*

Barbarorum regum eſt, toruo intuitu timorem incutere. Sic Aſſueri intuitus à Scriptura ſacra deſcribitur in hæc verba. Cumq. eleuaſſet faciẽ, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, regina corruit, & in pallorẽ colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinauit caput. En, quem è po-

Eſther 15.

pulo non terruiſſet, qui reginam intuitu terribili pene exanimauit? At barbaris fortaſſe parcendum, quòd inculti errent in ijs, quæ vel politicè agere mutato vultu deberent: chriſtianis verò Principibus tetrior nota ſit, truculentum præferre vultum, poſtquàm & cultura non deeſt, & orthodoxæ fidei luce, rei deformitatem agnoſcunt. Oculi ergo Principum noſtrorum nihil crudele, nihil ferum, ſed pium, miteq. prætendant, vt ingenuè agant, populiq. pectora demulceant. Abſit quoque grauitas in aſpectu nimia: abſit & circumſpectandi, caputq. celeriter huc illucue torquendi leuitas. Sit intuitus ita grauis, vt & ſyncerus, placidus, modeſtus: quo certè vno animos vehementer afficient.

## *Audientia qualis.* Cap. X.

SIuc læta,ſiue triſtia nuncia; ſiue opportunos, ſiue importunos poſtulatores Princeps audiat,ſiue libellos ſupplices ſecretò, aut palàm accipiat; ſupercilium contractum, geſtus iracundiæ indices, & acria reſponſa vitet,benignitatemq. præferat,qua temperet grauitatem: quæ ſanè temperies viro grandi, ac magnanimo planè digna eſt,ſimillimaq. cœlo, cui elementorum inferiùs reſidentium commotiones nihil de ſerenitate decerpunt.

## *Inceſſus qualis.* Cap. XI.

CElſitudo Principum non eſt ea, quæ harmonicũ aliquem incedendi modum, inceſſui virorum grauium aduerſum noua for-

ma requirat. Ecquis enim non liquidò perſpiciat, affectationem hanc parùm eſſe virilem? Non ſermonis ornatus, non intuitus, aut inceſſus, ſed dignitas ſublimior Principē cæteris hominibus anteponit. Quocirca vitia omnia, quæ ſynceros in hoc genere oculos offendunt, excludenda ſunt: & medium tenendũ, ne videlicet inceſſus in celeritatem, tarditatemuè degeneret. Celeritas quippe leuitatem, tarditas odioſam grauitatem arguit: illa contemptum, hæc tædium parit: vtraque actionis moderationem, ac decorem extinguit. Non tamen dedecet, in rebus turbidis, vbi periculum Reip. imminet, aliquantùm feſtinare, vt populus animaduertat communem ſalutem Principi eſſe cordi, quem à ſedato inceſſu præſens aduerſitas communi bono inimica deducit. Sic in caſtris,

aut in obſidione vrbium, ſtrenui Principes abſq; grauitatis decremento, omnia expeditè obeunt, & conſilio, præſentiaq. tuentur.

## *Corporis cultus qualis. Cap. XII.*

PRincipes boni, cum ſeria negotia gerant, corporis cultui ornatuiue ſtudere vix poſſunt: neque ſi poſſent, id niſi parcè in animum inducerent. Videntur hæc parua viris magnanimis, & in animo veris virtutibus excolendo ſe totos exercent. Ne ergo Principes chriſtiani, in corpore veſtimentis interpunctis exornando multùm operæ ponant, curentuè ſit ne veſtitus auro intertextus, opereue phrygionico variatus. Sat eſt, ſit abſque affectatione pretioſus, vt dignitati congruat. Neglectus autem, & ſqualor minimè commendatur.

## *Menſa qualis.* Cap. XIII.

MEns Principum vigil, & ad ferendum vbique iudicium expedita ſit, neceſſe eſt. At quì poterit rectè cenſere, qui ſe mero, & epulis obruit? Natura certè huiuſmodi oneribus prægrauata, tantùm abeſt, vt ad honeſtum diiudicandũ perſpicax ſit, vt belluarum ritu in omnem ſe turpitudinem præcipitet. Quapropter bonorum Principum menſa non tam ferculorum numero, aut lautitia, quàm moderato ciborum appoſitu, & frugalitate inſtruenda. Diuinæ maieſtatis timor deberet epulas Principum condire, atque metiri, ne ruerent in præceps, quod portentoſa Septentrionis menſa peruincit. Breuis admodum vitæ periodus eſt: incitamur ad curſum, quem nemo vel

Princeps, vel plebeius niſi pondere nimio exoneratus conficiet.

### *Animi remiſſio qualis. Cap. XIV.*

MOderata animi feſſi recreatio (quæ virtutis Eutrapeliæ actus eſt) Principibus iure summo debetur: vt omnino æquum ſit, vel harmonico tibiarum concentu, vel honeſti ludi genere aliquo, vel alia negotiorum incurſantium intermiſſione, vires fractas reficiant, ne oneri tanto, quod Reip. gratia geſtant, cum boni communis iactura ſuccumbant. Quicquid autem viris ſapientibus, ac pijs in hoc genere diſſentaneum eſt, grauiter reſpuendum.

### *Colloquia qualia. Cap. XV.*

SOlent Principes à prudentia, & rebus geſtis laudati, ſiue

domi,

domi, ſiue foris verſentur, eas horas, quibus à negotijs vacatur, cum viris multiplici litteratura, virtutum cultu, & rerum experientia eximijs collocare, vt ſuauiter multa diſcant, & ingenium excolant, quod laudi aſcribendum. Colloquia verò noxia ſeuerè prohibenda, cùm bonos mores corrumpant.

*Amicitia qualis*. *Cap*. XVI.

HAerent alte amicorum virtutes, ac vitia, quæ quaſi contagio necant: quapropter Principum amicos oportet eſſe inculpatiſſimos. Vbi verò amicos eiuſmodi nacti ſunt, amicitia fidiſſimè colenda, atque ita ijs vtendum, vt nihil ab eis, niſi honeſtum requiratur. Cauendum autem, ne antiquiores amici leuibus de cauſis deſerantur, nèue quicquam

aduerſus fidem diu probatam temerè credatur.

## *Modus agendi qualis.* *Cap. XVII.*

SI Princeps agat cum alio Principe, cui paret, modeſtia tum in ſermone, tum in corporis geſtu obſeruanda. Si cum æquali Principe, comitas quędam virilis exercenda, quæ placeat, ſeruetq. decorum. Si cum inferioribus, benignitati grauitas concilianda, ne terreat, ſed animos alliciat. Expeditq́. non parùm, modos agendi ſuaues abſque dignitatis decremento excogitare, quibus animi vltro ad imperata ducantur. Quocirca maieſtatis affectatio vitanda, ineundusq́. modus quidam hominum ingenio attemperatus, vt ſine auſteritate ſermonis, vultuùe toruo, Princeps aſſueſcat

non tam imperare, quàm petere, ſiue quodammodo rogare. Obſeruatio hæc ſanè perantiqua eſt, quam expreſſit Ethnicus ille in hæc verba.

*Dictus & Amphion, Thebanæ*
*conditor arcis,*
*Saxa mouere ſono teſtudinis, &*
*prece blanda*
*Ducere quò vellet.*

At modus hic ſenſu chriſtiano fit multò ſuauior, & ad flectendos, molliendoſq. animos efficacior.

# OECONOMICA moderationi aulæ Principum deſtinata.

## *Oeconomiæ diſtinctio. Cap. I.*

NON huc pars œconomiæ illa obtrudenda, quæ horrei, promptuarij, variçq. ſupellectilis procurationi debetur, quam Principes fido, prouidoq. rei familiaris adminiſtratori demandant: ſed pars illa nobilior, de qua ſæpe ac ſeriò cogitare Principes deceat. Hanc in præcipua capita diducere, vt faciliùs memoriæ imprimi, recoliq. poſſit, conſilium eſt.

## *Accurata liberorum educatio. Cap. II.*

PAterfamilias bonus Princeps ſit, neceſſe eſt: quam enim ſpem de recta Reip. moderatione excitabit, qui domui ſuæ præeſſe neſcit? Prima verò inter domeſticas curas liberorum educatio ſit, vt bonus Princeps inculpatæ vitæ exemplo, & appoſito, repetitoq. admonitu ipſe, quoad poſſit, liberos ad honeſtum inſtruat, laudatiſſimoſq. à pietate, ac doctrina illis eruditores aſſignet, à quibus tenella ætas caſtum Dei timorem ediſcat. Excolatur quidem ingenua proles liberalibus diſciplinis, vt ad futuros euentus comparetur: at cura potiſſima in animo rudi ad pietatem informãdo, & exorbitantium motuum fræno ponenda: ne pueritia licen-

tiæ aſſueſcat, fræniq. impatiens natu maior euadat.

## *Qua litteratura liberi inſtruendi.* *Cap. III.*

OPtandum ſanè, vt chriſtianorum Principum liberi ingenium varia diſciplina excolant, & pro mortalium captu omnia norint; vt ſapientes Reip. moderatores euadant, quod ad Principatus perfectionem proculdubiò faceret. At cum exigua vitæ periodo, rerumq. grauiorum molitione cohærere nequit tam multiplex litteratura, quam vix alij, curis omnibus ablegatis, prolixo agone perquirunt. Delectus ergo habendus eſt: & poſt latinæ, grecæq. linguæ, Rhetoricæ, ac Dialecticæ notitiam, aliquid è Iurisprudentię fontibus hauriendum, quod ad exercendum ſpectet imperium.

Quod verò ad rem philoſophicam,& theologicam pertinet,è re communi videtur,ſi à præceptore aliquo inſigni, ſuperuacaneis, ac inutilibus controuerſijs conſulto reiectis, quæ grauia, fructuoſa, & ſolida ſunt compendio tradantur: vt Principes ad omne iudicij genus comparati, perſpicaciùs cuncta diſcernant, & fœliciùs imperent. Non hìc tabulas geographicas, Sphæras,hiſtorias,& eiuſmodi alia leuiora commemoro, quæ ſunt grauioribus ſciẽtijs adiuncta,tanquam picturæ παρέργον.

Nimirùm hæc, vt ſerijs ſtudijs tempus adimere non debent,ita neque ſucciſiuis horis repellenda.In his tamen omnibus cauendum,ne ob ſermonis caſtitatem ſcriptores parùm caſti auidiùs, quàm decentiùs arripiantur. Cauendum item, ne geſta Ethnicorum, quæ in tyrannidem vergunt,

aut in alia vitia degenerant, per incautam hiſtoriarum lectionem animis iuuentutis adhæreant: è contrario nauanda opera, vt res geſtæ, quibus Principes vitæ ſanctimonię eximij claruerũt, animo inſculpantur. Summopere quippe confert, exempla præclariſsima ad imitationem ob oculos poſita contemplari, vt animus à primo ætatis flore diſcat, & exquirat honeſtum, noueritq. quibus veſtigijs inſiſtere debeat.

## *Quibus præſertim virtutibus liberi ornandi.* Cap. IV.

Congruunt maximè liberali iuuentuti virtutes eæ, quæ animum, corpusq. à fœditatę prę-ſeruant: quibus eò accuratius incumbendum, quò expeditior per eas via aperitur ad virtutes alias, quæ Remp. ſiue collapſam reſti-

tuunt,ſiue nutantem ſuſtinent,ſiue integram tuentur. Ergo Dei veneratione, ac timore altè impreſſo, frugalitas, ſobrietas,caſtitas per quàm ſtrenuè colendæ. Corpus quippe dapibus benè fartum, caputq; penè temulentum, velut oppilatis ſenſuũ oſtijs, omnem diſciplinam excludit:tantùm abeſt, vt iuſtitiam vel decernat, vel diſcernat. Obſcœnitas quoque omnis animum excęcat,ne honeſti rationem internoſcat,nedum exquirat. Iam verò pueritia, & adoleſcentia temperantiæ aſſueta facilè addiſcit proprias boni Principis virtutes, quas in politico tractatu trademus.

## *Famuli quales*. *Cap. V.*

ET numerus, & probitas familię ad trutinã examinanda:ne Princeps,qui, quod ad ſe attinet,

pietatem colit, inculti famulitij reus fiat. Pij planè Principis eſt, idoneo famulorum numero pro ratione dignitatis expenſo, neminem ad famulatum admittere, niſi quem integritas vitæ commendet. Ij ergo ſeligendi, ac remunerandi, quos Dei timor, otij fugā, Sacramentorum frequentia, ingenij, ac doctrinæ laus facit idoneos: qui verò vitijs ſordent, ab aula quantocyus arcendi, ne cæteros contagiò ſuo turpiter inficiant. Quò tamen ij, qui inculpatè agunt, otio minimè torpeant, varijs exercitijs ad pietatis, ac doctrinæ decorum excitandi ſunt.

*Corporalia liberorum, & ingenui famulitij exercitia. Cap. VI.*

EXercitia, quæ ad animum excolendum pertinent, ad ſcri-

pti huius calcem tradentur, corporalia nunc præſcribenda. Nocet mollis educatio,& ad mēſam, & ſomnum ſcrupuloſa decretarum horarum obſeruatio. Eo quippe ipſo fiunt ingenui pueri laboris impatientes, & morbis obnoxij, ſi negotiorum occaſione cibum,ſomnumue prorogent,vel ijs parcius vtantur. Quamobrem ad ſpontaneas horarum tranſgreſſiones, inediam, vigiliam, æſtus, frigoriſq. tolerantiam erudiendi, & laborioſis exercitijs addicendi, qualia ſunt venatio,iaculatio, equitatio, lucta regibus orientalibus creberrima,& ad longiorem vitam,valetudinemq. appoſitiſsima: præterquam quòd hiſce exercitijs,quę cum palatinorum cœtu in hortorum vijs, medijsue areis frequentari poſſunt, ad egregios fortitudinis, ac patiētiæ actus iuuentus benè afficitur. Quod ob-

ſeruaſſe videtur ille, qui cecinit.

*Ante vrbem pueri, & primæuo flore iuuentus*
*Exercentur equis, domitantq. in puluere currus,*
*Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis*
*Spicula contorquent, luctùq. ictùq. laceſſunt.*

2.Reg.1. Sed melius Dauid, qui præcepit, vt docerent filios Iuda arcum, ſicut ſcriptum eſt in libro iuſtorum. Et quidem exercitia hæc exornantur pietate, dum in ſcopum fidei propugnandæ, vel propagandæ deſtinantur, Principibuſq. ſęcularibus apprimè congruunt. Principum verò eccleſiaſticorum familiam lectio aliqua eruditionis variæ, cantus, licitus aliquis ludus, & id genus alia decent.

## *Currus & equi.* Cap. VII.

NVmerus,ornatusq.curruum, & equorum chriſtiano ſenſu temperandus, qui neque abuſum Ethnicorum, neque faſtum præferat. Quod cum laude obſeruari cernimus à Principibus,quorum fama non ab aſcititia maieſtatis oſtenſione,ſed à virtutibus eximijs orbe toto percrebuit.

## *Aula.* Cap. VIII.

PRincipibus ſolemne eſt amplas ædes è quadro ad imum lapide, è lateritijs mox parietibus, cum clauſtro latè patenti, columnis marmoreis,vel pilis puriſsimo albario tectis, & in læuorem adductis per quaterna compluuij latera ſplendentibus extruere,mirabili architecturæ peritia per teſtudines,coronides,per-

gulas, cæteraſq. ædificij partes ſe ſe prodente, quæ oculos pariter, & animum oblectet. Hic nihil temerè carpendum: ſed inſiſtendum, optandumq. nihil ibi poſſe circumſpici, quod aulas Principum chriſtianorum minimè deceat. Laus in hoc genere debetur ijs, qui non ſibi, ſed Reip. ad templorum, vrbiumq. decorem dignitati congruentem ædificant.

## *Oratorium.* Cap. I X.

PIetatis argumentum eſt, in abditiſsima totius aulæ parte oratorium extruere, ac Sanctorum reliquijs, imaginibus, & alijs pietatis incitamentis exornare: vbi Princeps negotiorum voluminibus ſe furtim eripiens diuinam maieſtatem precetur, agatq. de ſalutis æternæ cauſa quàm im penſè poterit. Solent timorati

Principes in huiuſmodi receſſu corpus aliàs molliter habitum verberibus caſtigare, & vim lachrymarum profundere: quòd recentibus quoque exemplis exploratum eſt.

## *Sacellum*. *Cap.* X.

EXpedit profectò, in loco maximè idoneo ſacellum conſtrui, ac exornari, vbi Miſſæ Sacrificio Princeps, familiaq. interſint, ſi Eccleſias petere, per negotia minimè liceat. Solent Principes pietate inſignes, in eiuſmodi ſacellis conciones audire, & aliqua cum famulitio toto frequentare exercitia, qualis eſt ſolita Beatiſsimæ Virginis ſalutatio, ac litania. Quin & ſolemniſsimis feſtis Euchariſtiæ Sacramentum ſumunt, vel ſi Principes eccleſiaſtici ſint, ipſi miniſtrant, fami-

liamq. vniuerſam recenſent,ac in officio continent. Oeconomiæ genus laudatiſsimum eſt.

### *Bibliotheca*. *Cap. XI.*

NOn eccleſiaſticos tantum, verum & ſæculares Principes benè inſtructa Sanctorum, Theologorum,Iuris vtriuſq. prudentum, Philoſophorum,Hiſtoricorum, aliorumq. ſimilium monumentis bibliotheca decet: vbi non iaceant libri puluere obſiti, ſed pietatis, eruditionis, & animi gratia exerceantur. Curandum tamen ne coaceruetur noxia congeries librorum,qui amatorijs,vel magicis inuentis candidos,piosq. animos inficiant, atque dementent. Caſta, piaq. oblectamenta Principes decent.

*Appa-*

## *Apparatus aulæ.* Cap. XII.

AD Principatus proportionem decoro aulæ ornatui conſulendum, cauto nequid nimis: dignitatis nempe ratio habenda: decēt quippe nonnullos aulæa ſerica filis aureis intercurrentibus diſtincta: alios coriacea non admodùm elaborata decent. Atque in hunc modum de tabulis pictis, ſtatuis,ſellis, lectis, cæteriſq. domeſtici apparatus partibus ita cenſendum,vt nihil præcipiti conſilio vituperetur: ſed pietati, ac modeſtiæ Principum credatur. Vnum dumtaxat improbandum, quod ad ſtatuas obſcœnas, à quātumuis egregio Polycleto ſcalptas attinet, quas à pijſſimis Principibus minimè ferendas omnino exiſtimandum eſt. Præſtat noui cuiuſuis Apellis,aut Phidiæ peri-

tiam in Sanctorum, aliorumq. virorum fortium perſonis, & rebus geſtis exprimendis exercere.

### *Veſtibuli laus.* Cap. XIII.

PRincipum pijſſimorum veſtibula modeſtè elaborata pro aſylo ſunt pauperibus, quorum vocibus, ſiue clamoribus perſtrepunt: gaudentq. ipſi quotidianæ beneficentiæ occaſionem nacti: quam identidem recolunt, firmiter ſperantes aulam miſericordia inſignem prouentu multo fortunandam, quod & ætate noſtra exemplis clariſſimis patuit.

### *Horti.* Cap. XIV.

NOn continuò improbandi horti penſiles, ad mœrorem furtim exhalandum deſtinati, vt animus ad reſumenda negotia

fiat alacrior. Non horti latiores vel aulis adiacentes, vel diſsiti, vbi opere topiario myrti,vel aliarum tonſilium plantarum orbibus,varijsq. flexuris areæ ad proportionem figurentur, è quarum centro fons aliquis ſubterraneis fiſtulis ductus erumpat. Non tophi, è quibus aqua guttatim deſtillet, vel in morem imbris, tanquàm è nube ſolis radijs reſoluta, ſpargatur. Hæc pro ratione cauſæ, & circumſtantiarum æſtimanda, ne præcipiti motu vitio vertantur. At minimè proſunt ſtatuæ læuigatæ, quæ caſtos oculos offendãt, & incautos animos pelliciant. Longi calles, arborum ſerie hinc inde ad lineam ſata, ſtipitibus æquali incremento ſurgẽtibus, & ſeſe in ramorum ambitum æqualem fundentibns, puriorem creant voluptatem, quę Principum animos exhilaret.

*Scrutinium Aulæ.* *Cap. XV.*

PRudentes porrò Principes, quaſi aliud agentes, aulæ partes obeunt, non ſanè vt minutiſſima quæque explorent, aut trutinent, ſed vt capita præcipua pernoſcant, familiamq. excitent ad ſtudium honeſti, dum cogitat, cordi eſſe Principibus domus decorem, nihilq. turpe tam oculatis cenſoribus poſſe celari.

# POLITICA TRIPARTITA REIP. GVBERNATIONI DESTINATA.

## PARS PRIMA,

Quæ prænotiones, & præcipua quædam monita complectitur.

### *Politicæ doctrinæ diſtinctio.* *Cap. I.*

NOſſe genus rei de qua cogites, operæ pretium eſt, vt idoneus fias æſtimator. Non hìc ea politica doctrina tradenda, quę orbis terrarum partem non exiguam penè dementauit, quam plerique diuinæ lucis exortes eò collimãt, vt opes, honores, voluptates imperando conquirant, vel immenſis conatibus augeant, & in po-

ſteros , ſimulata æternitatis imagine, deriuēt. Huc incumbit cura fere omnis,arcium extructio, ęrarij acceſſio, militum delectus, exterorum fœdera,belli apparatus, amicorum conſilia , & quicquid antiquo Ethnicorum ritu ſeruatum,vel inſtauratum eſt . At ciuilis doctrina,de qua ſcribere paramus , excelſior multò , & caſtior eſt , quòd nihil prorſus admittat ſordidum , quod religionis chriſtianæ puritatem dedeceat. Ingenuè nimirum intuetur, ac perquirit honeſtū : opulentiam,nominis celebritatem,& oblectamenta ita demum admittit, vt pietas caput efferat, non tam ferro, quam cuſtodia diuinæ legis armata:& militiam,togamq. ita moderatur, vt nihil fauſtum cum iniuria Numinis coaleſcere poſſe perſentiat.

*Poli-*

*Politicæ doctrinæ ſcopus. Cap. II.*

SParta Græcis, Roma Latinis exemplo eſſe poſſint, vt quiſque dignoſcat, quouſque ciuilis doctrina olim celebrata pertingat. Profectò Spartæ obſeruatione legum, Romani diſciplina militari temporariam quandam fœlicitatem pepererunt, quæ demũ extincta eſt, molitoribus ſuis in ſempiternum incendium deuolutis. Et quidem, qui inter eos ſapienter egerunt, Reip. pacem, nihilq. amplius, aut ſpecioſius cogitarunt. At hoc ſat fuerit ijs, quos chriſtianę religionis celſitudo latuit, qui vota intra philoſophicas metas concluſerunt. Verùm Principes chriſtiani, mox ac ſceptro manum admouẽt, eas metas animo tranſcendãt. Quod planè aſſequẽtur, ſi omnino decreuerint ita Remp. adminiſtrare, vt diuinę ma-

ieſtatis cultū vniuerſis orbis terrarum bonis pręferant:populosq. ſic moderentur, vt publica pietatis profeſsione illos ad imitationem alliciant, ſtudentes non pacem dumtaxat temporalē exquirere, ſed in pacem æuo perenni conſtantiſsimè permanſurā propoſitum mentis attollere. Quocirca ad rem erit, cùm ius reddūt, arma capiunt, vrbes muris ambiunt, hoſtes debellant, ſeu denique aliud quiduis attentant, animo conſtituere, ſe illud, quicquid accidat, eò deſtinare, vt rebus pacatis, atque compoſitis, ſubditorum animos ad æternæ ſalutis lucra permoueant.

## *Studium pacis.* Cap. III.

OMnia pacem expetunt, pro ſuo quęque captu: pax quippe ad cuiusq. rei bonum optimū, ac præſtantiſsimum pertinet. Et

in Rebuſp. genus quoddam fœlicitatis eſt, diuturna, conſtantiq. pace potiri. Pax quoque cum pietate coaleſcit optimè, quod ad politiam chriſtianā ſpectat. Quocirca nihil nō tentandum, & peruincendum, vt pax vel amiſſa reparetur, vel ſeruetur integra, & vires acquirat. E tribus ordinibus optimates à bono Principe conſilijs imbuendi, ne velut pingues tauri, iugi impatientes, obuia prata pererrent, & Remp. perturbēt. Ingenui piè afficiendi ad concordię ſtudium honorificis præmijs, ac veris beneuolētię ſignis. Plebs multa dexteritate verborum, interdumq. donorum, aliquove immunitatis incitamento demulcenda. Quòd ſi primores, qui vulgus in partes diſcindūt, inter ſe diſcrepent, celerrimè accurrendum, animiq. diuortia cogitantes quàm primum Principis auctoritate placandi,

candi, vel compeſcendi, ne ignis diſcordiæ,tanquam violentis ventorum flatibus abreptus, vicinis tectis adhæreat, & Remp. totam depaſcat. Omnis hic mora noxia videtur:experientia videlicet teſte multiplicis exitus planè tragici, à leui diſcrepantia plerumq. coorti. Principis ergo pij animus ſit ad flammulam quamlibet extinguendam velociſſimus.

*Belli fuga & vſus.* *Cap. IV.*

PRincipibus chriſtianis exploratum eſt,bellum ex eo eſſe rerum genere, quæ per ſe minimè eliguntur, aut optantur, ſed quibus, neceſsitate vrgente, conquirendæ ſtudio pacis, vtendum ſit. Quamobrem parcè admodùm agendum, quantùm ſcilicet fuerit ſatis ad propria bona capienda,vel tuenda, propulſandaq. mala ingruen-

gruentia, quæ Reip. ſaluti aduerſantur; quod exempli cauſa profertur, ne iuſtas omnes belli gerendi cauſas diſtinctè percenſeam. Vbi ergo bellum gerendum omnino ſit, chriſtiani Principis partes erunt, milites piè inſtruere, ne in ſpolia, & cædes oculos intendant, ſed in Dei gloriam, pro qua decertant, quoties pro iuſtitia ſuſtinenda confligunt. Seuerè ſcorta, & pœanas interdicat, iubeatq. antequàm ſigna cum hoſte conferant, conſcientiam pœnitentiæ Sacramento repurgent, diuinoq. Euchariſtiæ pane religiosè ſumpto, ad prælium animosè proſiliant. Multa hic ſubtexi poſſent, quę viris ſapientibus, quales Principes eſſe ponendum eſt, cordi ſunt, & ad pietatem inter caſtrorum diſcrimina alendam conferunt: at ſi pauca ea, quæ tetigimus, obſeruentur, ſperandum proculdubiò, piè com-

poſitis ductorum, ac militum animis, rem quoque militarem fœliciter ſucceſſuram.

## *Conſilij æſtimatio.* *Cap. V.*

PEr pacis fœdera, belliq. diſcrimina, Princeps nunc trabeatus, nunc loricatus incedit, vario euentu, ancipitiq. conſilio: neque res adeò leues cogitat, quibus diſcutiendis, ac peruidendis ſat ſit hominis vnius animus quantumuis prudens, ac perſpicax. Cogitationes quippe mortalium timidæ, incertæq. prouidentiæ ſunt, ibiq. ſalus vbi multa conſilia. Quamobrem pars magna communis ſalutis in conſiliarijs optimis, & integerrimis ſeligendis poſitä eſt. Eos verò dixerim optimos, quos ambitio nulla, nullusq. priuati boni detorquet intuitus: quiq. nota probitate, ac Reip. ſtudio, perſpica-

ciq. iudicio, communem ſalutem æſtimare, & mala obſtantia internoſcere poſsint. Quo in genere ij excellunt, qui vitæ ſanctimonia clarent: nam, vt capita multa ſupprimam, habet hoc ſanctitas ſpectata, atque probata vt licet liberiùs ſententiam dicat, animos Principum ingenuos tanquàm oraculo intentos haudquaquàm offendat. Habet & hoc, vt ſerpentia in Remp. mala, quæ ambitioſo artificio Principibus celari ſolent, aperiat. Abſit autem à bonis Principibus, vt ęgrè ferant ſyncera, piaq. conſilia ſuis opinionibus diſſentanea, ſi meliora ſint; aut ſententiam propriam auctoritate metiantur, non rationum pondere, ac pietate. Nam ſi potentia in hoc genere abutantur, toruis oculis intuentes, aut verbis auſteris repellentes, quos ſibi accinere non cernunt, hoc ipſo commune bonum labefa-

ctant. Profectò conſiliarius prudens, pius, ac in ſententia dicenda modeſtus, tametſi Principi non conſonet, non modò patienter, verùm & humaniter audiendus eſt, vt ſalus publica illæſa conſiſtat.

## *Legislatio. Cap. VI.*

MInimè dubitandum, quin prudens legiſlatio ad commune bonum tuendum, & amplificandum impendiò conferat. Oportet quippe nouis ſanctionibus (quas & paucas, & ſelectas eſſe oportet) vetuſta mala extirpare, & bona, quæ deſiderantur, in morem inducere. Inter leges autem chriſtianorum Principum, illæ laudem primam facile promerentur, quæ ad pietatem colendam diriguntur. Porrò ætate hac noſtra impietas enormiter inualuit, & pleraq; flagitia adeò impune perpetrantur,

vt timendum ſit, ne diuina maieſtas grauiſſimis iniurijs laceſſita ſupplicijs horrendis vrbes aliquas euertat. Et vt manifeſtò rem totam exemplo conuincam, quis ita ſit ſtupidus, qui vſitatiſſimum blaſphemiæ crimen in medijs Catholicorum vrbibus contemplans diuinæ vltionis fulmina non pertimeſcat? Cùm ergo grande malum hoc, aliudùe ſimile cum impunitate graſſatur, chriſtiani certe Principis partes ſunt, legem ſeueram de vlciſcenda blaſphemia crimineue alio, condere, ac fidiſſime exequi. Hanc nimirum honoris diuini tuendi curam magna Deus proſperitate repenſat.

## *Prouidentia.* *Cap. VII.*

INtereſt Reip. futuros euentus proſpicere, & annonæ curam ità gerere, vt populus minime gra-

uetur. Solent autem boni Principes in hoc genere nihil non tentare, vt populum alant, & exhilarent. Princeps bonus ſteriles annos ſuſpicatur, timetq. ne ingruat inopinata calamitas: atque ideò vrgente populi amore prouidentiæ tempus ſollicite anteuertit, vt ei congruat celebratum illud:

*Quando ego non timui grauiora pericula veris?*
*Res eſt ſolliciti plena timoris amor.*

Laus vero ſumma ijs debetur, qui exhauſtis quoque ſuis horreis famem populi depellunt. Laudi verò huic coronidem addunt, cum inopes, penuriç tempore, recenſeri, paſciq. imperant.

## *Decernendi modus.* *Cap. VIII.*

VErſum eſt in prouerbium effatum illud: Matura delibe-

ratio,

ratio, celeris executio. Ergo, vt Princeps appoſite ad Remp. decernat, ne feſtinet,ſed cunctetur, conſultet, cogitet, rerumq. mométa æquis bilancibus expendat. Quod tamen conſilium ita in grauioribus cauſis vſurpādum, vt ad leues, expedituq. faciles minime pertrahatur,ne Princeps fiat inuiſus,& mora noceat. Iam verò,vbi deliberatū eſt, ac decretum, quid fieri expediat, executio celeris commendatur.

## *Delectus miniſtrorum*. *Cap. IX.*

SApientis proculdubio Principis eſt, optimum habere delectum miniſtrorum, quibus graues functiones demandet: quid enim proſit bene decernere,ac imperare,ſi miniſtri,per quos negotia expediri debent,deſides,ignari,ignaui, immites, & alijs eius generis

notis fœdati ſint? Non ſeligendi tantum, ſed explorandi, ne quid indecorum committant, vel ſegniter agant. Quia verò ex bono delectu ſpes propemodùm tota pendet, ſolent Principes boni, merita virorum, quos virtutibus egegijs excellere fama eſt, ſolerter exquirere, ac perſpicaciter intueri, & quos probatiſſimos norunt, nihil eiuſmodi fortaſſe cogitantes accire, populisq. præficere: quod inter Principum encomia ponendum eſt.

## *Regendi modus. Cap. X.*

IDoneus regendi modus laudem facilè primam promeretur. Hic ſcopo pacis propoſito, ex ſeueritate, ac lenitate componitur. Proponitur primùm ſcopus, aut finis pacis, quæ in Rep. eſt id ipſum, quod in corpore naturali ſanitas: vt enim ſanitas

humorum, & qualitatum, ita pax multorum animorum proportio, ſiue temperies eſt. Quapropter, vt prudens medicus, ſanitatis gratia, medicamenta lenia primùm admouet, ac iterat; quæ ſi non proſint, acria profert, putriaq. membra præcidenda cenſet, vt ſana præſeruet: ita bonus Princeps modos principiò mites init, repetitq. ſi forte ad Reip. pacem conferant; qui ſi minimè proficiant, proteruos, tanquam membra putrefacta ſeuerè præcidit: quod iam priſcus obtinuit mos, vt cecinit ille:

*Tu regere imperio populos Romane memento:*
*Hæ tibi erunt artes, paciq. imponere morem,*
*Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.*

Modos hos chriſtianus ſenſus mirificè perficit.

# PARS SECVNDA.

## Virtutes, quæ à Principibus præſertim colendæ ſunt.

### *Obſeruatio.* *Cap. I.*

NON vniuerſas virtutes, quibus Princeps exornari debet, ſed aliquot ſelectas perſequi conſilium eſt. Hoc quippe noſtro ſatis inſtituto: præterquam quòd qui paucas has exactè coluerit, cæteras omnes velut catenæ orbibus conſertas acquiret.

### *Studium prudentiæ.* *Cap. II.*

PRudentia virtutum moderatrix, quæ Principum actus populi oculis expoſitos temperare, & ad rectæ gubernationis nor-

mam exigere debet, adeò imperio neceſſaria eſt, vt incaſſum quis laboret, quantumuis ingenio polleat, variaq; diſciplina excultus ſit, niſi peculiari ſtudio, ac obſeruatione multiplici, eam virtutem humanæ vitæ, ac politicæ doctrinæ aurigam exquirat. Exquiret autem attento animo ex lectione varia, ex rerum, circumſtantiarumq; expenſione, ex virorum expertorum, ſeniorumq; conſilio. Lectio ſanè varia, velut pictura quædam viuis coloribus expreſſa, quid agendum ſit, repræſentat, ex euentu ſimili: recte quippe ab imperatorum, regumq; prudentia inſignium geſtis argumentum ducitur ad euentus ſimiles: ideoque Principes noſtri, qui prudentiùs præſunt, antiqua paſſim exempla requirunt, hærentq. cunctabundi, donec ijs repertis viam ſibi tutę deliberationis aperiant.

Rerum, & circumſtantiarum expenſio eò dirigitur; vt Princeps omnia circumſpiciens nullam ſollicitudinis partem ad bene decernendũ prætereat. Circumſtantiæ nimirum ita rem eandem per tempora varia diſcriminant, vt eundem ciuem criminis reum nunc repentino ſupplicio plectere, nunc ad tempus pœna prorogata ignoſcere, nunc ad peiora damna Reip. vitanda abſoluere oporteat, colore quodam innocentiæ populis eleganter picto. Expertos viros, ſeneſq. palam eſt, conſulendos eſſe, vt quæ ipſi habent explorata doceant, moneantq. rerum varios anfractus, & exitus, quos inexpertis, & iunioribus incognitos eſſe, nemo eſt, qui ambigere queat. Senum ergo reſponſa æſtimanda Principibus, tantòq. auidiùs excipienda, quando ſalubriora, & ad futu-

rorum euentuum prænotionem aptiora. Verùm pars ſtudij huius potiſſima ſit, animo demiſſo Deum precari, &, quod Salomon 3. Reg. 3. fecit, ſapientiam enixiùs poſtulare, ad populum ſine propriæ ſalutis iactura moderandum.

## *Prudentia erga Principes alios. Cap. III.*

Binos Principes profero, & eos, qui extra Remp. fortaſſe potentia pares, aut maiores ſunt, & eos, qui in Rep. ſupremo Principi parent. Erga externos, prudentiæ chriſtianæ pars maxima, eſt, eorum neminem lædere, itaque officijs demereri, vt mutuò beneuolentia concreſcat. Huc ſpectat exiguarum rerum, occaſionumùe contemptus, ne ſcilicet chriſtianus Princeps, leuibus de cauſis, aut per viſum, aut per au-

ditum acceptis,belli ſementem ſpargat,& tragœdias excitet. Huc pertinent mutua dona ſyncere oblata. Huc fœdera ſancte percuſſa. Huc familiares litteræ ad amicitiam alendam deſtinatæ: aliaq. ſimilia, quibus concordia pacta firmetur. At ſi externus Princeps catholicæ fidei hoſtis ſit, ita irritandus non eſt, vt nec facile ad amicitiam inuitandus, vel admittendus, ne ſocietas ea in fidei detrimentum vergat. Quod verò ad Principes in regno proprio agentes attinet, is Princeps ſupremus prudētiſſimus erit, qui eorum animos ad pietatem primùm, mox ad temporalem communis boni ſtatum tuendum, malumq. auertendum flexerit. Huc ſpectat familiaris cum eis agendi modus, ita temperatus, vt inuidioſam vnius præ cæteris æqualibus communicationem ex-

cludat. Huc exemplũ vitæ inculpatæ,quæ ijs velut amplexu quodam imprimatur,in populum deriuanda. Huc adhortationes dulcedine multa conditæ: & quicquid ad animos ſyncere demulcendos,& in officio proinde continendos, Princeps prudens, ac pius excogitet.

## *Prudentia erga ingenuos.* Cap. IV.

PRudentiæ, quæ erga Principes exercetur,appoſite ſubtexitur ea, quæ ad regendos viros patritios (qui Reip.flos eſt) vſurpatur. Hic Princeps ſapiens ſe beneuolum, & ad honores, ac præmia ſtrenuis largienda propenſum exhibeat. Peramanter eos excipiat, verbiſq. ſuauiſſimis ad pietatem, ac res geſtas hortetur. Ex hoc quippe genere viri

for-

fortiſſimi, terra mariq. fortunatiſſimi ætate noſtra prodierunt; quos ad Principatum, cum familiæ ſplendore, & (quod eſt excelſius) cum fidei catholicæ mira propagatione, virtus ſola prouexit. Hos cernimus mirificè ad ſtudium virtutis incendi, cùm Principem magnanimum, & rerum conſultum nacti ſunt. Quapropter Princeps nobilitatem vrgeat his exercitijs, quæ viros fortes, ac inuictos creent; eiuſmodi fere ſunt belli ſimulacra, & naualis induſtria; neque ſinat viros grandibus natos, inutilibus expenſis patrimonia prodigere, ac effœminatos effici. Huc confert ludis, conuiuijs, veſtimentis modum præſcribere, fortes præmijs cumulare, & ignauos, quorum conſilijs bona iuuentutis indoles corrumpitur, procul arcere.

*Pru-*

## *Prudentia erga plebeios.* Cap. V.

REctè Princeps aget, ſi ſe interdum populo ſpectandum exhibeat, depoſita interim maieſtate, ſupplicumq. poſtulata humaniter audiat. Prodeſt, exiguo cum comitatu, vrbem obire, & hilari intuitu plebeis arridere. Prodeſt vectigalium diminutio, vel ablatio. Prodeſt vbertas annonæ, & id genus alia, vt animaduertat populus, eum ſe Principem habere, à quo impensè ametur. Hinc exoritur mutuus populi amor, ac fides ad omnem euentum comparata.

## *Religio.* Cap. VI.

QVicquid agat Princeps religionis chriſtianę neglector, aut immemor inglorius erit. Is

verò nomen immortale parabit, qui ſuis conatibus vniuerſis id potiſſimùm enitetur, vt religionis cultus altas radices defigat. Quo ſanè cum ſtudio mirificè cohæret honos ſacris hominibus, & rebus impenſus. Huc pertinet templorum, cleriq. ęſtimatio, & omnium denique rerum, quæ diuinę maieſtatis cultui addictæ ſunt, quibus veneratio multa debetur.

## *Iuſtitia*. *Cap. VII.*

BOni Principis eſt, iuſtitiæ partes omnes explere. Non hîc immorandum in contemplatione iuſtitiæ commutatiuæ; quæ ad vniuerſos homines pertinet. Sat ſit admonere, vt quod ſuum eſt, cuiq. inuiolatè reddat, reddiq. alijs ſeriò imperet. Illud verò in primis agat, vt eam iuſtitiã, quæ legalis appellatur; eam item, quæ

in diſtribuendis muneribus verſatur, ſanctè colat. Princeps quippe, quod ad legalem attinet, ſcriptarum legum velut anima eſt, debetq. Reip. corpus vitali motu ad illarum cuſtodiam excitare, ac permouere. Quod verò ad iuſtitiam diſtributiuam ſpectat, exploret, neceſſe eſt virorum merita, & pro cuiuſque proportione munia, præmiàve decernat. Vix enim credi poſſit, quàm fortes, ac induſtrios viros Reſp. producat, cùm idonea bonorum communiũ diſtributio animos ad grandia geſta perurget. Id verò quod de bonis conferendis aſſertum eſt, pari æquitatis ratione, ad inferenda reis ſupplicia transferendum. Vltio nimirum flagitioſis hominibus ad proportionem inflicta Remp. expiat, & viam, ne in poſterùm audeant, intercludit. In iure dicendo ita Princeps iuſtitiã

colat,

colat, vt exemplo luculento, Principatus ſui iudices, ad ius ſanctè ſeruandum adigat. Et quos parùm rectos, vel in iudicij forma, vel in cauſarum expeditione repererit, ſeuerè puniat: quos verò legitimè, pieq. officio functos reſcierit, honoribus cumulet, vt Reſp. iuſtitiæ luce reſplendeat.

## *Clementia.* *Cap. VIII.*

AEquitas accuratè ſpectata, nequit reprehendi: ſummum verò ius, in vltione præſertim irroganda, ſolet vituperari. Ita videlicet ſupplicium inferri debet, vt meminerit Princeps omnem crudelitatis imaginem bono communi parùm proficere, aut certè nocere. Quod apud chriſtianos iudices pondus habet immẽſum, cùm mitem Chriſtum venerentur, nouerintq. ſe homines eſſe

ſupremo Dei iudicio tandem obnoxios. Et profectò tametſi nihil futuri iudicij diſtrictionem formident, pręſens tamen populi affectus tener, ac pius clementiæ ſtudiũ ab eis requirit. Quemadmodũ enim, quos crudeles Principes populus nouit, vel abſentes ipſe in tuto poſitus horret, ac refugit; ita è contrario, quos clementes expertus eſt, impenſiùs amat, & per diſcrimina quæque ſectatur.

## *Liberalitas.* *Cap. IX.*

QVod ad bonorum temporalium diſtributionẽ pertinet, non ſatis officio fecerit Princeps, qui iuſtè dumtaxat, ſed qui iuſtè, ac liberaliter egerit. Nimirum, qui communia Reip. bona diſtribuit, propria verò tenaciter ſeruat, vel auget, auaritiæ ſuſpicio-

nem incurrit, & animos ciuium alienat, vel certè minimè conciliat. Quamobrem Principes, qui non tam corporibus, quàm animis, chriſtiano ſenſu, imperare cupiunt, opportuna largitione, & priuatos homines, & vrbes mirificè deuinciunt, innumerosq. ſuarum laudum præcones creant.

## *Fortitudo*. *Cap. X*.

PRincipes, quos populus togæ, militiæq. tutelares habet, viros planè fortes eſſe debere, omnino perſpectum eſt. Ecquis enim digne queat eloqui, quãti ſit momenti, per oblatas belli occaſiones, Principem non conſilio tantùm, verùm & exemplo præire, caſtra ducere, exploſas glandes, tormentorum ſtrepitum, & vniuerſa mortis diſcrimina neutiquàm formidare. Profectò Prin-

cipis fortitudo exemplis probata viros inuictiſſimos in Rep. procreat,& ignauiam omnem expungit. Quòd ſi belli cauſa pia ſit,eo ipſo Principis robur è cœlo auctum maiora interdum præſtat, quàm poſſe videatur; miramq. nominis claritatem orbe toto diffundit.

## *Patientia.* *Cap. XI.*

NImis vulgatum eſt,Principes, quò grauiora moliuntur, eò moleſtiora perferre. Nunc triſtia belli nuntia, nunc primogeniti mors inopinata, nunc demerſæ naues, & alij perſimiles euentus animũ grauiter afficiunt. Quamobrem ictus hi patientię chriſtianæ clypeo excipiendi ſunt:& animus repentè perculſus erigendus eſt ad omnia inuictè ferenda, & ſpem in vno Deo collocandam:

vultus quippe Principis mœſtitia cōcidentis Remp. totam deijceret. Hinc liquet ad libellos ſupplices,& quotidianum tot poſtulatorum auditum, quàm crebrò patientia ſit exercenda, &, vultu læto, cum benignitate, ac lenitate concilianda.

## *Magnanimitas.* *Cap. XII.*

EXcelſo certè animo Principes eſſe par eſt, ad grandia proponenda, atque patranda. Nam qui eiuſmodi res cogitant, duce pietate, atque iuſtitia,& famam,& opes,& imperium amplificant. Horum mos nobiliſſimus eſt, honeſtum, non quà eſt honoribus, & opulentia conueſtitum, ſed quà per ſe lucet,intueri, perſequi, & cum iactura quoque aliorum bonorum exquirere. Virtus hæc grandia molitur, me-

diocria non curat, & aliarum virtutum conatus perficit, ad excelſa in quouis honeſti genere tentanda, & abſoluenda.

## *Magnificentia.* Cap. XIII.

DEcet Principes magnificentia, cuius eſt pietatis, & cõmunis boni gratia, impenſis minimè parcere, animumq. ad templa, cœnobia, xenodochia, academias, & collegia erigenda, & amplis redditibus alenda excelsè afficere. Hæc publicorum ædificiorum, viarum, pontium, aquæductuum curam ſuggerit, excogitatq. multa, quæ ad Reip. vſum, ornamentumq. pertineant.

## *Miſericordia.* Cap. XIV.

MIſericordia, qua vniuerſa Dei opera mirificè exornan

vultus quippe Principis mœſtitia cōcidentis Remp. totam deijceret. Hinc liquet ad libellos ſupplices,& quotidianum tot poſtulatorum auditum, quàm crebrò patientia ſit exercenda, &, vultu læto, cum benignitate, ac lenitate conciliandà.

## *Magnanimitas.* *Cap. XII.*

EXcelſo certè animo Principes eſſe par eſt, ad grandia proponenda, atque patranda. Nam qui eiuſmodi res cogitant, duce pietate, atque iuſtitia,& famam,& opes,& imperium amplificant. Horum mos nobiliſſimus eſt, honeſtum, non quà eſt honoribus, & opulentia conueſtitum, ſed quà per ſe lucet, intueri, perſequi, & cum iactura quoque aliorum bonorum exquirere. Virtus hæc grandia molitur, me-

diocria non curat, & aliarum vir-
tutum conatus perficit, ad excel-
ſa in quouis honeſti genere ten-
tanda, & abſoluenda.

*Magnificentia.* Cap. *XIII.*

DEcet Principes magnificen-
tia, cuius eſt pietatis, & cō-
munis boni gratia, impenſis mi-
nimè parcere, animumq. ad tem
pla, cœnobia, xenodochia, acade-
mias, & collegia erigenda, & am-
plis redditibus alenda excelsè af-
ficere. Hæc publicorum ædificio-
rum, viarum, pontium, aquædu-
ctuum curam ſuggerit, excogi-
tatq. multa, quæ ad Reip. vſum,
ornamentumq. pertineant.

*Miſericordia.* Cap. *XIV.*

MIſericordia, qua vniuerſa
Dei opera mirificè exornan

tur, propria Principum, & ſanè laudatiſſima virtus eſt. Neque ad rem hanc confirmandam alio vtar argumento, quàm voce populi acclamantis Principi, quem ad pauperes ſolandos, & fouendos nouit eſſe propenſum. Hæc certè virtus regij diadematis ſplēdor eſt: claritasq. inſignis Remp. honeſtat, dum Principis aula benignè inopes excipit, lætosq. dimittit. Quo in genere egentes conſanguineos cæteris anteferre, ordo diuinæ charitati, ac miſericordiæ conſentaneus eſt.

PARS

# PARS TERTIA.

## Vitia, quæ à Ptincipibus præſertim vitanda ſunt.

### *Obſeruatio.* *Cap. I.*

NEminem certè fugit, Principum vitam defœcatiſſimam eſſe oportere, vt ſalus Reip. tuta conſiſtat. Nimirum illorum vitia à populo concipiuntur, & infauſto eduntur partu, quo nihil calamitoſius. Ij ergo Principes, qui inculpatè imperare, bonumq. cõmune tueri cupiunt, ſolerter caueant incitamẽta vitiorum, ne quid impurum ſe in animum inſinuet. Quòd ſi (quæ ſors mortalium eſt) quandoque labantur, vigilantiſſimè ſe contineant, ne quid niſi candi-

dum, & ſanctum populus eis creditus ſuſpicetur: neque enim ſimulatio hæc hypocriſi vertitur, ſed officio. Poſſent quidem viri ſapientes ex ijs, quæ breuiter de virtutibus prompſimus, vitia declinanda proſpicere: at nonnulla grauiora ſubtexere, operępretium erit.

## *Superbia. Cap. II.*

PAtitur neſcio quid mortalis conditio, vt in celſitudinem Principatus euecta obliuiſcatur ſui, & in quandam confictæ diuinitatis ſimilitudinem, imperij, ac potentiæ pennis efferatur. Aegritudo hæreditaria eſt, cuius remedium chriſtiana diſciplina paratur. Hanc chriſtiani Principes ediſcant humanę fragilitatis memores. Comprimant feroces animos Chriſti manſuetudine, diui-

namq. maieſtatem expaueſcant. Meminerint potẽtiſſimi regis Nabuchodonoſor, qui cùm die quadam in aula ſua quàm ampliſſima deambularet, ſuperbia tumidus, vrbem circumſpiciẽs, in hæc verba prorupit: *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Meminerint hæc, caueantq. ne vox è cœlo feratur: *Tibi dicitur, Nabuchodonoſor: Regnum tranſibit à te &c.* Opportuniſſimum Principibus conſilium eſto, maiorem Numinis potentiam crebrò cogitare: nam quemadmodùm animus minora pertractans extollitur, quòd ſe illis prælatum cernat; ita maiorem potentiam attentè contemplans demittitur, quòd eam capiti incumbentem, & quaſi minantem ſuſpiciat. Dan. 4.

## *Adulatorum conniuentia.* Cap. III.

ANtiquiſſimum certè vitium adulationis iampridem in aulas Principum irrepſit. Patitur quippe mortalium Principum animus neſcio quid tenerum, ac molle, quod hæret blande, dum laudatur, tametſi ea ſe laude carere perſpiciat. Faxit diuina bonitas, vt à Principum chriſtianorum animis cuiuſlibet aſſentationis aſſenſus longe abſit, & veritatem ardentiſsime ament. Auertant, precor, aures caſtas ab huiuſmodi blandimentis: & adulatores eliminent.

## *Auaritia.* Cap. IV.

TVrpe ſanè vitium auaritia eſt, quod Principes chriſtia-

nos præſertim dedecet: neque ſatis exprimi poteſt, quam longè populi animos abſterreat. Credit certè populus, nihil ſe boni ſperare poſſe ab eo Principe, qui ad congerendas diuitias, inopumq. proinde ſanguinem exorbendum procliuis eſt. Abſit ergo à Principibus, quos liberales, ac miſericordes eſſe oportet, nota hæc, quę nullis artibus valet expungi.

## *Prodigalitas.* *Cap. V.*

MEdium tenet virtus liberalitatis: auaritia, & prodigalitas in extrema feruntur. Acciditq. nonnunquam, vt Princeps, qui fugit auaritiam, ſuperuacaneis ſumptibus prodigalitatem incurrat. Quapropter ſit Princeps æquus reddituum ſuorum æſtimator, pius, & liberalis expenſor.

## *Ambitio amplioris Principatus.* *Cap. VI.*

PRinceps, quem latioris impe-rij infeſtat ambitio, & ſibi ani mi tranquillitatem adimit, & rem cæteris Principibus inuidioſam attentat; quod viris ſapientibus, quibus hæc traduntur, comper-tiſſimum eſt. Qua enim ratione animo pacato quieſcet, quem amplioris dominij libido contor-quet? Benè ſcripſit ille:

*Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis:*
*Aeſtuat infœlix anguſto limite mundi.*

At Principes chriſtiani, quorum animis pietas altè inſedit, non ita torquentur,

## *Tyrannis.* *Cap. VII.*

VItiorum aliorum ſeriem longã contexere ſuperuacaneum videtur, ſi Princeps tyrannidem oderit. Cùm enim eo nomine inuiſo ſignificemus horrendũ monſtrum, quod ſpreta regni ſalute, curam in ſe omnem reflectit; ſat erit Principes admonere, vt è contrario curam in commune bonũ ſtudioſiſſimè conferant: & vbi propria bona cum communibus pugnant, aſpernẽtur ingenuè ſua, & Reip. fidiſſimè proſpiciant. Hęc vna compendiaria admonitio, tota inſtructio boni Principis eſt.

# PRAEFATIO in Pſalmum ſeptuageſimum primum.

POſtquàm doctrina politicà Principibus compendio tradita eſt, æquum videtur, boni Principis formã in Scriptura ſacra pſalmo ſeptuageſimo primo expreſſam, ſubtexere; vt exemplar ſuũ Chriſtum, ſupremum videlicet regem, caſtis oculis chriſtiani Principes intueãtur, & certatim imitẽtur: quemadmodum rex ille, qui pſalmum prophetico ſpiritu afflatus conſcripſit, egiſſe creditur, ad Iſraelis regnum florentiſſimũ, ex lege temperandum, ac proſperandum. Canitur hic iuſtitia, pax, opulentia, victoria, multiplexq. regni gloria, quę bonos Principes ad obſeruationem, & imitationem alliciat.

# EXPLANATIO in Pſalmum ſeptuageſimum primum.

*Deus iudicium tuum regi da: & iuſtitiam tuam filio regis.*

PSalmo huic præfigitur hic titulus: *Pſalmus in Salomonem*: in eum ſcilicet Salomonem, qui debellatis humani generis hoſtibus, pacem animis inuexit: nam & de Meſſia Doctores hebræi titulum interpretati ſunt; neque enim fœlicitas, & opulentia, quæ in pſalmo eleganter exprimitur, Salomoni illi, cuius gloria demum extincta eſt, poſſit aſcribi, quemadmodùm è contextu, & interpretamento liquebit. Tantumdem ergo dicas

*Pſalmus in Salomonem:* ac ſi planiùs in hunc modum efferres: Pſalmus collimatus,directusve in regem Salomonem, hoc eſt,pacificum: qui videlicet, domitis, ac profligatis humanę ſalutis acerrimis impugnatoribus, pacem ſuauiſſimam votis immenſis expetitam in animos afflictos induxit. Hoc optauit impensè rex ille inuictiſſimus Dauid bellis gerendis aſſuetus, & natalis Chriſti cupidiſſimus: quaſi liquidò per hoc ipſum teſtaretur, regnum illud ſuum,quamuis inter mortales florentiſſimum, debere tandem loco excidere, vt regnum Chriſti, non ferro, ſed manſuetudine armatũ, terrarum orbem ſubiugaret. Erupit ergo affectus impotens in hæc verba: *Deus iudicium tuum regi da*: hoc eſt: Aeterne Pater,rerum conditor, & moderator, animaduerto orbem hunc noſtrum fune-

ſtis caſibus obnoxium, varijs conſilijs perturbatum, nequire pace diuturna, & optata fœlicitate fortunari, donec Vnigenitus tuus, pacificus nempe rex, è ſublimi throno, vbi tecum res vniuerſas moderatur, ad mortalitatem noſtrã delapſus, cauſas inter homines controuerſas dirimat, proteruiam comprimat, iniuriam propulſet, animorum perturbationem ſedet, omniaq. pro tribunali dijudicet. Da ergo, age iam, defer precor, iudicium tuum regi filio tuo. Præſta, oro, iuſtitiæ munus filio regis, filio videlicet tuo, qui rex immortalis, ac ſempiternus es. Dicat ius, ſanctè pronunciet, ac inculpatè Rempublicam adminiſtret.

*Iudicare populum tuum in iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio.*

EXplanat pſalmographus quod verſu primo expetiuerat, tan-

quam ſi rogatus, cur tantopere efferbuiſſet votis,& Chriſtum regem optaſſet,reſponderet : Optaui equidē è cœleſti throno quantocyùs in terrarum orbem deſcenderet, vt exerceret partes omnes iuſtitiæ, quæ inter mortales neglecta, vel proculcata iacet, vt ſcilicet ius diceret populo,redderetq. cuiq. quod ſuum eſt, quod eſt proprium iuſtitiæ ingenium & vt inopes, qui à potentioribus ſolent in iudicio per nefas opprimi,rex æquus protegeret,atque à violēta irruptione opprimentium eriperet.Quod Chriſtus inuiſibili quodam iudicio animas à dæmonum vnguibus eripiens, viſibili quoque,dum inopes per Eccleſiæ iudices à criminationibus, & iniuſtis vexationibus eximit,crebro efficit, in ſupremo iudicio id perfectiſſimè expleturus.

*Suſci-*

*Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam.*

MEtaphora pulcherrima eſt à corporatis montibus, & collibus anno fœcundiſſimo vernantibus, herbaſq. ſalubres producentibus. Perſimilis quippe fœcunditas à diuino vate tranſlato ſermone deſcribitur, in regno Chriſti inſtar montis excelſo, pacis, ac iuſtitiæ tum internæ, tum externę feraciſſimo. Diſcrimen verò inter montes, & colles, loca videlicet editiora, & minus edita, meritò expendendum eſt: quemadmodum enim in opificio naturæ, infimus hic terræ globus, vario partium ſuarum poſitu, ad decorem, hominumq. vſum diſtinguitur; ita & Reſp. diſtinctis ordinibus, & functionibus mira concinnitate diſcernitur. Profectò in orbe terrarum, ſiue mox vt creatus eſt, ſi-

ue paulò poſt, vbi imperatum eſt aquis,confluerēt in locum vnum, ſic Deus molem hanc architectatus eſt,vt montes in ſublime,quaſi caput attollerent;quibus colles minùs elatos,ac denique deuexa, & plana terræ loca ſuppoſuit,vt è verticibus montium, & collium coronis,aquarum riui terram fœcundaturi decurrerent. Hæc eſt imago quædam graphicè picta Reip.chriſtianæ,quæ regis ſui Salomonis, hoc eſt, Chriſti ſapientia,ordine certè miro, in gradus, ac partes diſcreta eſt, vt pars vna in alteram influeret, & vitalis quidam ſpiritus à capite ortus membra omnia permearet. Et in eccleſiaſtica quidem hierarchia, montibus Pontifices ſummi, collibus cæteri antiſtites, locis planioribus populus chriſtianus ſacra ſuſcipiens appoſitè notatur. In Rep. verò ſeculari, Principes

ſatis aptè montibus, proceres ab eis, vrbibus, ac tribunalibus præfecti collibus, populi planis terræ locis concinna varietate reſpondent. Dum ergo diuinus vates ſic precatur: *Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam*: idem eſt, ac precaretur: Summe Deus, enixè poſtulo, vt Rerũpublicarum Principes edocti iuſtitiam Vnigeniti tui, pacem è cœlo lapſam accipiant, in populum idonea gubernatione deriuandam. Poſco etiam, vt rectores vrbium, iudicesq. ad tribunalia deſignati, à Principibus admoniti, atque animati iuſtitiæ cultum ediſcant, & ius populis intemeratè dicere aſſueſcant.

*Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.*

MIrum eſt, quàm ſæpè protectionem pauperum incul-

cet. Coniectandum proculdubiò inopes Chriſto regi maximo cordi eſſe, quæ pijſſima Principum eruditio eſt. Propheta ergo fauſta nunciat, dum vaticinatur fore, vt in regno Chriſti, indigi, ac derelicti homines, tametſi cum potentiſsimis in iudicio confligant, cauſa minimè cadant. Et quidem Chriſtus ipſe exercuit iudicium mirum pro pauperibus, hoc eſt hominibus diuinæ gratiæ opulentia carentibus: quos non ex operibus iuſtitię, ſed gratis ſaluos fecit, dum copioſa redemptione oblata ſempiterno patri ſuo, Satanam humani generis diriſsimum hoſtem, calumniatorémq. repreſsit. Verùm vatis animus procurrit vlterius; ſenſit enim æquos iudices chriſtianos, veros Chriſti imitatores, eo ipſo, in litibus dirimendis, peculiarem inopum curam geſturos, quòd eos

egeſtate ſqualere conſpiciant. Non ſanè, quòd in iudicio, inopum gratia ius violandum ſit: ſed quòd inopia ipſa, diuitum, ac potentium viribus comparata, pios, ac rectos iudices excitet ad cauſas perſpicaciùs explorandas, nè fortè obliuioni tradatur, aut habeatur neglectui inopis cauſa, quem faſtus nullus, nulla remunerationis ſpes, lucrumuè commendat. Sic Iob, cum capite vigeſimo nono dixiſſet: *Pater eram pauperum*. adiecit mox: *Et cauſam, quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam*. In hunc ergo ſenſum vates diuinus enunciat: *Iudicabit pauperes populi &c.* quaſi liquidò ſic proferret: Tribunal chiſtianum longè aliud erit ab eo, quod à diuinæ lucis expertibus nefariè vſurpatum eſt. Apud iudices quippe mortales, qui leges diuinas, æternã merce-

dem

dem, ac vltionem ignorant, qui potentia excellunt, potiores exiſtimantur,& impotentibus præferuntur: at iuſtitia,quam rex à me flagitatus in ampliſsimo regno ſuo ſtabiliet,adeò afficiet iudicum animos, vt à recto,nulla prece,vi, pretiòue deflectant. Verba igitur textus ſic explananda ſunt: *Iudicabit pauperes populi*: hoc eſt, iudicium gratia inopum, ac derelictorum exercebit, ne iure ſuo expolientur: *Saluos faciet filios pauperum*: ideſt,non quouis modo inopes tuebitur, ſed eorum quoquè liberos protegendos ſuſcipiet: *Humiliabit calumniatorem*: hoc eſt, calumniatores ſynechdochicè, ſingulari numero accepto pro plurali, falſos nempe delatores, qui afflictis audent inferre calumniam,quod vtinam iudices vniuerſi perpendant.

*Et permanebit cum ſole, & ante lunam: in generatione, & generationem.*

PErgit regius pſaltes fauſta nuntia vulgare: cuius ſenſus eſt, non timendum, quod ſuperueniens poſterior iudex acta Chriſti reſcindat, quemadmodum inter mortales fieri conſueuit, vt priorum iudicum, aut prætorum facta poſteriores ob nimiam crudelitatem, aut iuris corruptelam, aboleant. Profectò minimè verendum: nam quem Chriſtus abſoluerit, tutiſsimus erit, ac ſempiterna libertate gaudebit. Sic ergo textus exponendus eſt: *Et permanebit cum ſole, & ante lunam*: quaſi vates diceret: Rex, quem exopto, ac poſtulo, nullum ſucceſſorem patietur: nemoq. iudicio ipſius à tormentis exemptus ad-

uerſam vim formidabit, cum regem æternum, ac tutelarem immortalem nactus ſit. Permanebit quippe *Cum ſole*: hoc eſt, coram ſole, & *Ante lunam*: ideſt, in conſpectu lunæ, tanquam diceret: Quamdiù ſolis, & lunæ facies ſeipſam oſtentabit, tamdiù perſtabit rex, quem expeto, ac imploro, eiuſque tribunal pauperibus propitium, quod nulla poteſtas aduerſa deturbabit. Veriſsimum eſt ſanè vatis aſſertum, cùm æuo ſempiterno Chriſtus permanſurus ſit. Quòd ſi verba textus de temporis excurſu, qui vſque ad iudicij diem porrigitur, accipiantur, vt cõmodè poſſunt, ſenſus eſt, Chriſtum in boni, æquiq. iudicis officio, quod in Eccleſiæ regno per chriſtianos iudices exercet, perduraturum, quamdiù ſol, ac luna, alterna diei, ac noctis viciſſitudine orbi noſtro prælucebunt.

Græcè ἐναντίον.

De-

*Deſcendet ſicut pluuia in vellus: & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.*

SImilitudo hæc, à campis imbrem ſitientibus, & velut ore diducto poſtulantibus, petita, in rem à propheta prædictã, & exoptatam mirificè conuenit. Terra videlicet niſi cœli clementia humectetur, ac fœcundetur, in puluerem diſſipatur: neque pecoribus pabula, neque hominibus fruges arefacta producit. Quocirca vbi aruit, & in rimas diffinditur, in cœlum hiare, & velut ſuſpiria trahere ad clementiam implorandam, eleganter dicitur: quemadmodum vates ipſe alibi ſignificauit vſus hac metaphora, vt animum ad æterna ſuſpirantem exprimeret, per hæc verba: *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.*

Poſt-

Poſtquàm ergo propheta Chriſti iuſtitiam vberrimam prædixit, vt indicaret, quibus deſiderijs humanum genus tanti regis aduentum expeteret, ſubtexuit hæc verba: *Deſcẽdet ſicut pluuia in vellus &c.* Vellus hoc loco, illum quaſi terræ crinem, hoc eſt varia herbarum germina, quæ rore cœli conſperguntur, atque ſuccreſcunt, appellauit. Eiuſmodi quippe vellera, in ſolo quoque parùm pingui proueniunt: at exorto ſole torrentur, & intereũt, niſi cœlum largè pluuiam effundat, aut certè copioſum rorem, quo herbarum caules humoris ſuctu pubeſcant. Quà certè naturali obſeruatione in vatis ſenſum nos ipſos inſinuare poterimus. Natura profectò humana quanquàm viribus attrita, nũquam adeò effœta fuit, vt virtutum ſemina in ipſa creatione impreſſa prorſus amiſerit: liberum

vide-

videlicet hominis arbitrium atte-nuatum quidem, at culpa extin-ctum non fuit: quæ vniuerſorum Theologorum catholica conſen-ſio eſt. Modica ergo virtute illa, virtutisve ſemente, potuit vtcum-que iuſtitiam colere, vt per Græ-corum, ac Latinorũ hiſtorias fa-cilè patebit: Lacedæmonum ni-mirum iuſtitia in latarũ à Lycur-go legum cuſtodia, Romanorum quoque iuſtitia in legum ſuarum obſeruatione reſplenduit: at enim vellera herbæ exilia fuere actus illi multiplices, à ſcriptoribus pro-fanis tantopere laudari, ſi cum eo iuſtitiæ cultu, quem Chriſtus in Eccleſiæ regno inſtituit, com-parentur. Cuius diſcriminis ratio theologica eſt, quòd iuſtitiæ no-ſtræ auctor deſcenſu ſuo, velut largo imbre, humani generis ter-ram perfuderit, & naturales vir-tutum propenſiones inſtar herbæ

Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 5.

ena-

enaſcentes,diuinæ gratiæ muner
perfecerit,viribus nouis,quas na-
tura proferre nequibat, cœleſt
dono additis, ad iuſtitiam chri-
ſtiano more colendam. Ex qu
ſanè perſpici poteſt, quàm eſſe
in votis Chriſti aduentus morta-
litatis noſtræ toga induendi. Hæ
ergo vota porrò ardentiſſima ſi
gnificanter admodùm exprimun
tur per hæc verba: *Deſcendet ſi
cut pluuia in vellus &c.* hoc eſt
Rex noſter Salomon tempore
per æternum ſenatusconſultun
decreto delabetur in hominum
animos arentes,ac ſteriles,quem
admodum pluuia fluit in herba
rum comas è terra exortas,ac hu
moris penuria languentes: vt ani
mos fœcundet illos, & ad iuſti
tiam exercendam vegetiores effi
ciat. Quod verò additur: *Sicu
ſtillicidia ſtillantia:* eiuſdem ſen
tentiæ repetitio eſt, more poëti

co, ſimul & rhetorico. Subeſt interpretatio altera huius verſus, quæ ad rem eandem amplificandam conducit. Alludit nempe vates ad vellus Gedeonis, quod cœleſtem rorem abſque vlla læſione concepit, vt ſenſus ſit, Vnigenitum Dei filium, humani generis regem optatiſsimum, illapſurum in vterum Virginis intemerato pudore, ſicut ros in lanæ vellus, abſque ſectione, aut diuiſione vlla deſcendit. Explanatio hæc planè pijſsima eſt, & Eccleſiæ ipſius ſenſu confirmata per hæc verba: *Sicut pluuia in vellus deſcendiſti.* Confert autem ad rem eandẽ, vti diximus. In hoc quippe Dei ſapientia, in Virginis vtero corporata eſt, vt inde progrediens iuſtitiæ regnum conderet, tantæq. virtutis cultum mortalium animis imprimeret: vt ex proximo verſu liquebit.

*Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis: donec auferatur luna.*

ECce, quo pacto, vota vatis explentur. Optarat ille, ac poſtularat, vt tandem Chriſtus rex laberetur, ſicut pluuia in vellus: & nunc attexit rationem, quę ipſum ad id expetēdum impulerat, in hæc verba: *Orietur in diebus eius &c.* quaſi planius ita effaretur: Ratio, quæ me vehementer vrget ad Meſsiam votis immenſis depoſcēdum, iuſtitiæ vbertas eſt, quam prophetico lumine proſpicio. Nimirùm, cum acceſſerit ille, & terram generis humani pręſens excoluerit, mira erit iuſtitiæ, & pacis vbertas. Idoneus ordo, vt iuſtitia antecedat, lites cōponat, & iure ſuo cuique attributo, diſcordes animos conciliet: & mox exuberet pax, à qua Salomonis

cognomentum exortum eſt. Hìc ſubnotandum,iuſtitiam,& pacem à propheta decãtatam duplicem eſſe, alteram, qua homines iuſti ſunt apud Deum ſecretiſsimo diuinæ gratiæ dono intus recepto, alteram velut aſpectabilem, quæ ſcilicet à Principibus chriſtianis eccleſiaſticis,ac ſęcularibus exercetur in Rep. temperanda, in legibus ſeruandis,in rerum contractarum fide tuenda, qua commune bonum, & ius quoque priuatorum perſtat illæſum. Quod verò ſubijcitur, *Donec auferatur luna*: idem eſt, ac diceret: Donec quieſcat luna, vſque ad ſupremã ſcilicet iudicij diem, vbi diuinæ maieſtatis imperio,auferetur hæc inconſtantia,ſeu varietas per incrementa, & decrementa lunæ. Tunc quippe,quod ad Remp.mortalium attinet,iuſtitię exercitium ceſſabit: at iuſtitia illa interna,&

pax animorum Chriſti ſanguine parta, per æternitatem abſque vllo defectu protendetur.

*Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.*

HIc palàm fit, pſalmum hunc Salomoni vetuſto non poſſe omnino congruere: regnũ quippe illius, quamuis pacatum, & opulentum, anguſtis tamen finibus circumſcriptum, non potuit huius verſus ſenſum ęquare: regnum tamen Chriſti, vt & antiquis monumentis, & recentibus conſtat exemplis, ab orientali oceano vſque ad occiduũ procurrit, ac Indos vtroſque complectitur: & à flumine Iordane, vbi fons ſacri baptiſmatis conſecratus eſt, ad extremas orbis terrarũ metas, ſummæ Triadis prædicatione, & baptiſmi aqua pertingit. Et quidẽ,

hæc periphraſis, qua regius vates ampliſsimum Chriſti regnum deſcribit, non ad animorum tantùm imperium, quod Chriſtus exercet, referenda eſt; verùm ad externam quoque gubernationem, eccleſiaſticorum, & ſęcularium Principum Chriſto parentiũ, quorũ iuriſdictio illuc vſque procurrit. Patet nimirum Indos orientales, & occidentales, qui Chriſto nomen dederunt, & à ſummis Pontificibus, & à catholicis regibus inter Eccleſiæ alũnos, ſubditosq. ſuos recenſeri. Ex quo certè conſpicimus, vaticinium hoc verſu proditum, hiſce quoque diebus expleri. Qua in re oculatè animaduertendum eſt, prophetam verſui proximo, quo iuſtitiam, pacisq. abundantiam decantauit, ſubieciſſe hunc, quo latiſsimum depingit imperium: quaſi manifeſtiùs oſtenderet, regna quęlibet

iuſtitiæ cultu, paciſq. ſtudio non modò tuta conſiſtere, ſed fœlicius amplificari: quod memoriæ chriſtianorum Principum inſculpendum eſt.

*Coram illo procident Aethiopes: & inimici eius terram lingent.*

AEthiopũ nomine nõ proprios dumtaxat Aethiopes, ſed vniuersè locorũ arentium, & ſqualentium incolas remotiſſimos, ac incognitos ſignificat, quos vaticinatur florentiſſimo Chriſti regno collum ſubdituros: vt præter argumenta totius antiquitatis, ętas noſtra peruincit. Sanè præter catholicæ fidei ſemina, quæ India vtraque concepit, ſi de proprijs Aethiopibus ſermo fiat, ętate noſtra vulgatiſsimum eſt, Guineos, quos Aethiopes heſperios ſcriptores antiqui appellarunt, legationes plures inſtituiſſe, quibus

ad ſidem acceptam religioſiùs colendam, à ſummis Pontificibus impensè auxilium poſtularunt. Quòd verò ſubiungitur: *Et inimici eius terram lingent*. eiuſdem ſententiæ amplificatio eſt: homines quippe barbari ab orbe noſtro longè diſsiti prædicuntur ea animi demiſsione adoraturi, vt terram in venerationis ſignum oſculentur; quod & hiſtoricè verum eſt. Iam autem ex hac pereleganti ſubiectionis deſcriptione duci poteſt argumentum, ad iuſtitiæ culturam chriſtianis Principibus efficaciùs perſuadendam. Si enim iuſtitiæ cultui ſe totos dedere, & pacis bonum promouere ſtuduerint, & ampliorem principatum nanciſcentur, & populos feroces, chriſtiana diſciplina lenitos, vectigales, ac ſeruituti ſpontaneæ addictiſsimos habebunt.

*Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent.*

SVmmæ inter mortales fœlicitatis argumètum exiſtimatur, regem aliquem nõ modò peramplo, & pacato regno potiri, verùm reges tributarios vltro munera ferentes habere. Et ſanè nihil ſublimius mortales futurorum bonorum ignari expetere norũt, aut exquirere. Profectò, quod ad Chriſti regnum ſpectat, exploratũ eſt, reges Tharſis, hoc eſt, maris, qui videlicet mari imperitarũt, & inſularum dynaſtas, ſponte ad fidẽ catholicam conceſſiſſe, & muneribus multis templa chriſtiano ritu conſecrata exornaſſe: vt præteream trium regum Magorum adorationem, ſacramq. munerum oblationem ab Eccleſia, pia huius verſus interpretatione, ſolẽni ap-

paratu celebrari ſolitam. Quod verò pſaltes ait: *Reges Arabum, & Saba.* ad rem eandem peculiari quadã obſeruatione facit, propter Arabum aromata, & thus præſertim Sabæorum, quod ad diuinæ maieſtatis veneratione adoletur, præterquam quòd reges ſabæi, & arabes in Chriſtum credituri notanur: quod olim rei exitus comprobauit. Omnia ergo propheta complexus eſt, mare ſub nomine Tharſis, inſulas expreſſo nomine, continentem Saba, & Arabiæ nomine, vt per ſynechdochem, vniuerſam terræ molem intelligas. Vndique videlicet prodiere, qui Chriſti diuinitatem, regnum, & Eccleſiæ catholicæ diſciplinam religiosè profiterentur. Ex quo traditæ doctrinæ non modica acceſsio fit, qua iuſtitiæ cultus cõmendatur: hinc enim effici ſolet, vt Principes, qui

in Rep. iuſtitiæ intentiſsimè vacant, Principes alios vectigales habeant, quorum opibus ſpontè oblatis, vel in tributum repenſis, propria regna condecorant; atque communiunt.

*Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes ſeruient ei.*

SEnſus verſiculi huius adeò propriè Chriſto, eiusq. regno congruit, vt Salomoni nō poſsit adaptari: patet quippe ex vniuerſo terrarum orbe reges, ac gentes per temporum diſcrimina Chriſtum coluiſſe, colere, & culturas eſſe: quod Salomoni minimè quadrat. Non eſt autem cur in huius verſus expoſitione immoremur, cùm explanatorum verſuum rhetorica quædam amplificatio ſit, ad affectum excitandum, & Chriſti laudes celebrandas.

*Quia liberabit pauperem à potente: & pauperem cui non erat adiutor.*

VErſus hic noua interpretatione non eget, ſed obſeruatione. Quotidie quippe Chriſtus animorum imperio inopes, hoc eſt peccatores à potente, ſiue tyranno dæmone eripit, & in Eccleſia recti iudices derelictos homines, à locupletibus, & violentis æquo iudicio liberare, conſueſcunt. Videtur certè vates diuinus pauperū ſtudioſiſſimus, dum eorum auxilia tam ſæpe commemorat: quod & ſuperius annotauimus, & verſu proximo mirificè confirmatur.

*Parcet pauperi, & inopi, & animas pauperum ſaluas faciet.*

FAmiliare eſt ijs, quos vehemēs vrget affectus, rem eandem

multifariam deſcribere ad ſenſus exaggerationem. Hic autem verſus, vt & alij in pſalmo hoc, de peccatorum remiſſione, ac ſempiterna ſalute præſertim intelligendi. Parcit Chriſtus dum crimina relaxat,& animum expiat: ſaluas facit animas,dum à preſſura mortis,tartariq. faucibus eripit,& victrices in cœleſtem patriam introducit. Simile quiddam in Eccleſia cernitur,dũ Principes pauperibus debita condonant, & vitam in diſcrimen adductam,à potentiorum manibus præſeruant: quod ſe, pro munere, quod gerebat, Iob egiſſe teſtatur in hęc ver-
Cap. 29. ba: *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.*

*Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo.*

Non

NOn videtur propheta à pauperum fauoribus celebrãdis poſſe diuelli. Hìc apertè commemorat iniquitatẽ,ſiue iniuſtitiam, qua opprimuntur, quod bifariam exponitur. Nimirum dæmon iniuſtus exactor, iniquè diuexat afflictos animos, & vſuras multiplices, hoc eſt, lucra ſua, importuna infeſtatione extorquere pertẽtat: Chriſtus verò, vti verus humani generis redemptor dæmonis impetum frangit, & oppugnatos homines, natura inopes, in libertatẽ vindicat. Vnde liquet: *Eſſe honorabile nomen eorum coram illo:* honorabile ἔντιμον, ideſt, pretioſum, magno ſcilicet ſanguinis eius pretio comparatum. Expoſitio altera ad viſibile Eccleſiæ regnum, & chriſtianæ iuſtitiæ exercitiũ pertinet: per hanc quippe virtutem homines egeſtate conſumpti, non modò ab vſuris, ſed ab iniqua

exactione qualibet, vt ciues, ac patritij ciuitatis Dei à pijs, iuſtisq. Principibus illæſo iure ſeruantur.

*Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper: tota die benedicent ei.*

PRędicit pſaltes regius hoc verſu immortalem Chriſti à mortuis reſurgentis vitam, hoc enim ſibi volunt ea verba: *Et viuet:* quaſi diceret: Non timendum Chriſto, pauperum tutelari, tanquàm defuturę ſint ei vires ad boni regis, ac iudicis munus obeundum. Non deficient: etſi enim mortem pro generis humani ſalute perlaturus ſit: mortem tamē ipſam, qua occumbet, reſurgendo calcabit, condetq. Eccleſiæ regnum, quod non euertetur, ac viuet nunquam interiturus. Mundusq. vniuerſus agnoſcet, & colet illum, vt vitæ immortalis aucto

rem,

rem,atque in eius fidei profeſſionem afferet ei aurum Arabia, & laudes eius pij adoratores, munerumq. oblatores celebrabunt. Quod ſanè vaticinium iam pridem impletum animaduertimus. Quod verò ait vates: *Adorabunt de ipſo*: ſcilicet auro, tantundem eſt, ac ſi dixiſſet,cum ipſo: ſimul quippe religio, & munus fidei profitendæ deſtinatum commendatur. Adiunctum autem illud: *Tota die benedicent ei*: ad perennes orientalis,& occidentalis Eccleſiæ laudes, die nocteq. repetitas pertinere videtur. Duo ergo encomia propheta coniunxit ad Chriſti regnum ſpectantia, munera videlicet, & laudes Chriſti regi ſummo iure reddendas. Sic ſanè qui ad Chriſti exemplar iuſte imperant, & muneribus, & laudibus augentur.

*Et erit firmamentum in terra in ſummis montium, ſuperextolletur ſuper Libanum fructus eius: & florebunt de ciuitate ſicut fœnum terræ.*

VAria eſt huius verſus interpretatio: placet tamen duplex, altera quæ de vbertate ſpirituali, altera, quæ de temporali traditur: ita vt elegans hæc affluentiæ ſignificatio à propheta deſcripta vniuersè de ſpirituali, internoq. animi paſtu, quicumque ille ſit, & de naturali quoque tritico queat enunciari. Vbi enim iuſtitia colitur, & pax à regibus chriſtiano more ſancitur, pauperumq. tutela æquo iudicio ſuſcipitur, cum ſpiritualis nutrimenti tritico notati vbertate, qua Deus piorum animos, inſtar montium, virtutum incrementis adultos ro-

borat,& florere facit, affluentia quoque annonæ, mira Dei prouidentia cumulatur: quod à vate diuino hyperbolicè ſignificatum eſt. Per verba nimirum illa: *Erit firmamentum &c.* idem agit, ac ſi luculentiùs in hunc modum eloqueretur: Tanta erit terræ feracitas, vt montium cacumina, quæ ſolent eſſe ſterilia, triticum abundè refundant: cuius tritici fructus *Superextolletur ſuper Libanum:* hoc eſt, longiùs vincet fructus alios, quàm Libanus editiſſimus mons alios mõtes excelſos ſuperat: cuius paſtu florebunt, hoc eſt, vegeti, hilares, & quaſi florentes incedent, qui ſunt de ciuitate, hoc eſt, ciues Eccleſiæ, qui tanto bene valentes numero cenſebuntur, quanto cenſetur fœnum terræ, quod vbique abſque numero prouenit. Porrò hebraicus populus, vt apud barbaros quoque Iudith. 5.

vul-

vulgatum fuit, dum Deum coleret, ac legem inuiolatè ſeruaret, temporalibus bonis à clementiſſimo Deo locupletari conſueuit: quemadmodùm è contrario dum legis iugum excuteret, calamitates multiplices, ipſam ſeruitutem, ac necem identidem incurrit: vt mirandum non ſit, populum chriſtianum beneficijs maioribus obſtrictum, dum pietati ſtudet, ſecundis euentibus terra mariq. proſperari, dum ſceleribus fœdatur, a fidei hoſtibus cædi: quod Principum animos vrgere deberet, ad Dei cultum inſtaurandum, & alendum.

*Sit nomen eius benedictum in ſæcula: ante ſolem permanet nomen eius.*

POſtquam regni chriſtiani proſperitatem cœleſti lumine propheta conſpicatus eſt; diuinæ

bonitatis admiratione permotus, in hæc verba prorupit: *Sit nomen eius &c.* quaſi liquidius diceret: Aequum profectò eſt, regis adeò liberalis,& ad beneficentiam expediti nomen,hoc eſt, famam,res geſtas, opera planè diuina laudare: mortales ergo perenniter,hac laude concertent. Neque exiſtiment, ſe regis alicuius mortalis nomen decantare:rex quippe hic ſempiternus eſt. Hoc propheta ſubiectis verbis euicit: *Ante ſolem permanet nomen eius*: quorũ verborũ intellectus ſatis perſpicuus, ac ſyncerus eſt, Chriſtum æternum Deum eſſe. Si enim nomen eius, ideſt, res nomine ſignificata ante ſolem permanet,hoc eſt ante primas creaturas extitit, neceſſe profectò eſt, eum increatum, ac proinde Deum æternum eſſe. Quod Chriſti encomium, Principibus ad venerationem,caſtumq.

timorem propoſitum, nunquàm deberet ab animo diſcedere, vt eorum regna florerent.

*Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.*

OMnino certum eſt, quicquid benedictionis, hoc eſt proſperitatis, iuxta vſitatam Scripturæ phraſim, mortalibus è cœlo prouenit, per Chriſtum impendi: quamuis propheta, hoc verſu, ad laudatiſſimam benedictionem Abrahæ in Chriſto promiſſam peculiariùs videatur alludere. Rectè autem adiecta verba cohærent: *Omnes gentes magnificabunt eum:* ex quo enim Chriſti merito, gentes proſperatæ ſunt, reciproco amore eius nomen amplificant, & iugi laude concelebrant. Et quidem verſu hoc chriſtiani Principes erudiuntur, & admonentur, vt

ij ſint, per quos fœlicitas in populum, tanquàm aquæductu quodam corriuetur: vt eorum quoque pietati feratur acceptum, quicquid boni Reſp. vniuerſa recepit.

*Benedictus Dominus Deus Iſrael: qui facit mirabilia ſolus.*

ACclamat propheta regi, cuius laudes recenſuit. Senſus per ſe planus videtur, excepto verbo: *Solus:* quod theologicè agendo, de principali, propriaq. auctoritate accipiendum eſt. Patrarunt ſanè multi mira minimè pauca, ipſius adiutorio: at auctoritate propria ea mira præſtare, Dei ſolius eſt. Fortaſſe etiam vates ſanctus Deum Iſraelis, hoc eſt, verum Deum à confictis dijs diſcernere voluit argumento mirabilium operum, qualia nullum è confictis numinibus patrare potuit.

*Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum: & replebitur maieſtate eius omnis terra, fiat, fiat.*

HAec ſumma acclamatio eſt diuino vate digniſſima. Nimirum non ſat fuit prophetæ, penultimo verſu Dei laudes impenſiùs optaſſe, niſi laudes ęternas vltimo verſu hoc expeteret, ac poſtularet. Quod ſanè votum è prophetico lumine natum videtur: proſpexit quippe terram vniuerſam Chriſti maieſtate, ſiue gloria, ſiue ſalute implendam, populoſq; acclamaturos: *Fiat, fiat:* hoc eſt, ita contingat vt diuinę maieſtatis nomen æuo ſempiterno celebretur: quapropter exarſit laudis deſiderio, & dulciſſimo epiphonemate, carmen voto concluſit: quod à Principum animis non deberet excidere.

# PRAEFATIO in librum ſecundum.

RATIONES politicę non paucæ, quæ cõgruerent alijs, viros eccleſiaſticos minimè decent. Status quippe eccleſiaſticus rationibus diuinis innititur, quibus præſertim regendus eſt, vt ex eius inſtitutione, ac ſanctorum præſulum exemplis euincitur. Quin etiam Eccleſiæ forma aſpectabilis, mira concinnitate partiũ cœleſti conſilio mutuò cohærentium, & harmonico hierarchicorum actuum ordine diſpoſita, facilè demonſtrat, mortalium conſilia, atque conatus, tantæ celſitudini palàm impares eſſe. Quę non ideo dicta, quòd acquiſitæ prudentiæ in eo regimine locus non pateat: ſed

quòd prudentia illa diuinis rationibus debeat mitiſſimè ſubijci, & multa pietate conueſtiri, vt nihil niſi pium, ac ſanctum emineat. Quocirca hæc pauca præfari viſum eſt, vt eccleſiaſtici viri ſtatum proprium explorent, & animum ad genus doctrinæ temperatæ coaptent. Etenim, quæ hoc ſecundo libro ſubijcio, perpauca ſunt: & ea quidem, non tanquam præiudicata conſilia, ſed quaſi monita ad memoriæ adminiculum Principibus eccleſiaſticis oblata, eorumq. iudicio credita. Quod prudens lector animaduertat.

# LIBER SECVNDVS DE PRINCIPIBVS Eccleſiaſticis.

## PARS PRIMA.

### De virorum eccleſiaſticorum perfectione.

### *Eccleſiaſticus ſtatus expenditur. Caput I.*

DEcet profectò viros eccleſiaſticos mira vitæ puritate nitere. Is quippe ſtatus eſt, in quem cœleſti munere cooptantur; vt ab omni fœditate procul abſiſtere ſummo iure debeant, ſiue politicos mores, ſiue diuinos obſeruent. Politicè quidem egit rex ille Babylo- Dan. 1.

nis,dum imperauit Aſphenez eunuchorum præpoſito, introduceret de ſemine regio: *Pueros in quibus nulla eſſet macula, decoros forma, & eruditos omni ſapientia, cautos ſcientia, & doctos diſciplina, & qui poſſent ſtare in palatio regis*. Senſit ita decere Nabuchodonoſor homo certè ferus, at impe-ratoriæ maieſtatis non ſtupidus expenſor. Et nequid obſtaret iuſſioni: Dan 1. *Conſtituit eis rex annonam per ſingulos dies de cibis ſuis*. Quales ergo eſſe deceat viros à diuina maieſtate ad aulam ſuam ampliſſimam, Eccleſiam videlicet exornandam accerſitos, quàm ingenuos iuſtitiæ ſplendore, quàm decoros actu, quàm inſignes ſapientia, quàm prudentes conſilio, quàm egregiè varijs diſciplinis excultos? Etenim deforme nimis monſtrum foret, vel à mortalibus

regibus, rudes, obſcuros, inuenuſtos homines ad intimas ędes admitti: neque enim tam auguſtæ dignitati congruere poteſt, niſi primus, ac pulcherrimus patritiorum flos. Antiquiſſimi Theologi è cœleſti beatorum ſpirituũ hierarchia, ſupremos illos, quos ab incendio Seraphim appellarunt, in quodam velut diuinitatis veſtibulo poſuere: vt ij Deo proximi aſſiſtére crederentur, qui eſſent omnium perfectiſſimi, & in verticem quendam editiſſimum caput efferrent. Simile quiddam de ſupremo eccleſiaſticæ hierarchiæ ordine credendum, tametſi ordines alij ſapientiſsimè diſpoſiti, alijs quoque angelicis choris mira concinnitate reſpondeant. Hæc eccleſiaſticorum integritas, & ſublimitas eſt: tàm longè à rerum infimarum, ne dicam turpiũ vilitate recedendum. Et ne quis

excuſationem obtendat,patrimonium Chriſti,quod in vſus vanos, aut profanos impendere culpa grauis cenſetur, in annonam clero decretũ eſt: vt curis alijs ablegatis, ſtatus eccleſiaſticus in vnũ Dei cultum perſeueranter incumbat. Hæc eſt eccleſiaſtici ſtatus æſtimatio.

### *Quàm ſit è Rep. virorum eccleſiaſticorum integritas.* Cap. II.

VT corpus ab anima,ita in regno Eccleſiæ, ſtatus ſæcularis ab eccleſiaſtico vim quandam vitalem haurit, qua in cœleſte regnũ abſque defectione contendat. Quod non ad Sacramentorum miniſterium, verbiq. diuini paſtum modò, ſed ad inculpatæ vitæ exemplum proculdubio referendum. Habet quippe eccle-

ſiaſticorum integritas viuā quandam energiam ad populum pijs motibus perurgendum, vt & flagitioſi abiurata vitæ licentia reſipiſcant; & pij, dum eis exempli calcar additur, cœptum pietatis curſum auctiore ſtrenuitate conficiant. E contrariò verò, ſat exprimi nequit, quàm grauiter ſaluti officiant cleri vitia, quæ ſerpunt in populum ſeſe eo nomine excuſantem, quòd facilè ignoſcēdum ſit vulgo ijs in erratis, quæ ſanctior ſtatus incurrit. Ergo cleri probitas populi antidotum, improbitas venenum eſt. Senſit Paulus exempli mali vim ſanè validiſſimam, quæ coactionis genus poſſit nuncupari, vt patet ex illo: Gal. 2.
*Quomodo Gentes cogis Iudaizare?* Carpſit Petrum, quòd ne Iudæorum nuper conuerſorum animos tenellos commoueret, ad cæremonias, ritusve iudaicos tunc

ſanè licitos nimiùm foret intentus : ex quo Ethnici non ſatis capientes, qua mēte id à Petro fieret, in errorem induci poſſent, oportere videlicet ad ſalutem, moſaicas cæremonias cum recens orta Chriſti lege connectere. Ecce, actus illos, quos parùm oculatè Petrus obibat, coactionis genus Paulus interpretatus eſt, quòd cederent in exemplum, quod Eccleſiæ naſcenti poſſet obeſſe. Ecquid ergo, ſi Paulus fœdum aliquid aſpexiſſet?

## *Quæ rationes vrgeant virum eccleſiaſticū ad vitæ perfectionem exquirendam.* Cap. III.

PRincipiò clerus vrget, nam quos Chriſtus in clerum, hoc eſt, ſortem cooptat ſuam, oportet eſſe Chriſto ſimillimos. Exemptum à mūdi ſeruitute genus eſt,

& rebus diuinis addictum: animumq. proinde gerat cœleſtibus deſiderijs erectum, & à concretione carnis longè actum, porrò par eſt. Mox officij diuini crebritas ſubit, cui qui aſſueſcũt, angelicos mores deberent exprimere mortalium vitia, ignauiamq. pertæſi. Prodigioſum quippe videtur, officio perfungi diuino, quẽ vitia nimis humana, vel certè profana deformant. Succedit ordo ſacer, annexumq. caſtimoniæ votum, quod candidam arguit vitam, quæ labem reſpuat òmnem, vt nihil in corpore ſordeat, quo animus fœdetur. Accedit ſacrificium incruentum, cui puritas ſumma debetur, quod rei dignitas, qua ne cogitari poſſit maior, euincit. Quòd ſi ſacerdos ad prælationem euehatur, perſpicuum eſt, arcto perfectionis vinculo necti, vt alios quibus præficitur, hie-

rarchicis actibus perficiat. En, quàm defœcatè agendum eccleſiaſticis, vt ſtatui congruant, & ſancta decorè pertractent. Hinc efficitur, vt cleri culpæ turpiores ſint, peiusq. noceant, velut exitialia tela, quæ populo dæmon intorquet. Ergo inculpatæ vitæ impensè vacandum eſt.

## *Ecquid ſit, virum eſſe perfectum. Cap. IV.*

S. Tho. 2.2. q. 184. ar. 1: S. Tho. 2.2. q. 84.ar.9

PErfectionem vitæ in charitate diuina Patres poſuere, tres in ea gradus, ſiue ſtatus diſtinguentes vitæ incipientis, proficientis, atque perfectæ; quarum prima in vitijs conuellendis, ſecunda in parādis virtutibus, tertia in amoris diuini partibus explendis potiſſimùm verſatur. Quocirca perfectus is erit, qui expugnatis vitijs, virtutibusq. pàrtis, ad iuſtam

chari-

charitatis menſuram adoleuerit, qua & Deo, propter diuinam ipſius bonitatẽ, & proximo propter Deum arctè ſocietur, poſſitq. eadem de cauſa mala ingruentia conſtãter ferre, & in arrepto voto perſiſtere. Hæc viri perfecti effigies. Nemo ergo ſibi blãdiatur, & perfectionem vitæ nouam confingat: niſi enim vitia expungat, virtutes acquirat, & charitatis bipartitum munus in Deum, ac in proximum generosè obeat, nequit eſſe perfectus. Et quidem hæc perfectæ vitæ deſcriptio timorem incutit viris quoque fortiſſimis, ne prælationibus, niſi imperio coacti, humeros ſupponant, quos oportet, ne ſuccumbant, eſſe firmiſſimos. Et ſanè præter eam vitę integritatem, prudentia, doctrinaq. ad functiones ſacras minimè vulgaris exigitur: nam, vt cætera ſileamus, Sacramentorum miniſteriũ,

& prælatio diſciplinam inſignem, & conſilium exquirunt, quę cum vitæ probitate coaleſcant: vt is perfectus eccleſiaſticus ſit, quem vitæ ſanctitas, prudentię canicies, & peritia multa commendat.

*Quanti à Deo fiat eccleſiaſticorum perfectio. Cap. V.*

DIci nequit, quàm ſit accepta Deo virorum eccleſiaſticorũ integritas. Ratio rem aſtruit: ſelegit quippe eiuſmodi viros, tanquàm diuinæ bonitatis ſulcos, per quos in Eccleſię areas, multis ordinibus ad culturam diſcretas, & gratiam, & ſapientiam deriuaret, Quapropter ſi ij ſint, quos eſſe decet, bonitas diuina, quaſi beneficentię ſuę opportunam occaſionem nacta, illos in primis liberaliter habet, atque fœcundat, vt alios inſtruere, corrigere, & in cę-

leſtium diuitiarum conſortium accire queant. Fons nimirum ille puriſſimus in eccleſiaſticos viros, vt in crateres ſibi proximos primùm influit, ſtatimq. per illos Eccleſiæ arua perfundit: quod clerus olim non ita numeroſus, & nunc alicubi benè cultus, & in populi ſalutem intentus omnino peruincit. Poſſent huc intexi multa priſcorum Epiſcoporum exempla, & ſacerdotum, qui ſub ijs præſulibus pietate claruere: quos Chriſtus velut in delitijs habuit, impleuitq. ſpiritu ſapientiæ, & intellectus. At res comperta eſt, neque ambigendum eos viros, à Deo plurimi factos, quos tot, tamque eximijs muneribus auxit, & quaſi cœleſtia quædam lumina conſtituit, quæ ignorantiæ tenebras ſuo ſplendore diſpellerent.

## *Quid agendum eccleſiaſticis, vt perfecti euadant.* Cap. VI.

AEſtimanda primùm perfectio eſt: ęgre quippe quis conatur, quod non magni pendit. Aurum apud vltimos Indos terra permiſtum europæos mercatores exciuit, quia magni æſtimatum. Mox exemplar aliquod vir eccleſiaſticus, quod æmuletur, ſibi ob oculos ſtatuat, puta quem virum in Eccleſia ſua clerus à vitæ integritate, ac peritia celebrat, niſi malit ex alia Eccleſia, vel ex anteacta ætate inſignem aliquem omni exceptione maiorem imitari. Erit ſcilicet vnus vel alter omnium ſermone vulgatus, qui vt fama fert iuxta ſenſum Apoſtoli, non ſe negotijs ſæcularibus implicet, qui orationis ſtudio ſe dedat, qui in ſacrificio Miſſæ, in

officij diuini penſo, in alijs ſacris ritibus ſe religioſiùs exerceat, qui eleemoſynas largius eroget, qui proximis inſtruendis, ſolandis, roborandis totum, quod ſupereſt, temporis impendat. Hæc via compendiaria eſt. Quòd ſiquis in aliorum imitationem non vſqueadeò propendeat, cupiatq. nihilo ſeciùs rationem aliam parandæ perfectionis inire, conſilio prudentum vtatur, ne aberret, & ad capita pauca rem totam redigat, quæ poſſit perſeueranter explere.

### *Quæ nam ſint capita doctrinæ ad perfectionem vitę parandam requiſitæ. Cap. VII.*

HAec fere ſunt capita: diuinæ in primis legis obſeruatio: mox eccleſiaſticæ: demum orationis ſtudium cum aliquo mor-

tificationis exercitio connexum, ſtatuiq. attemperatum. Debebit ergo vir eccleſiaſticus, qui perfectionem vitæ molitur, Dei præcepta ſeriò cogitare, & ad duos qvaſi cardines amoris Dei, ac proximi vertere. Cõpendio quippe iſto, qui rem ad praxim referre cupit, expeditè legem explebit, ſi ſæpe recolat, quo modo erga Deum, ac proximum affici debeat. Si enim ſemel affectum, vti decet, excitare norit, inter occaſiones multipliccs paſſim incidentes, diuinæ maieſtatis cultum bonis vniuerſis anteferre, proximiq. bono tanquàm proprio conſulere aſſueſcet, quod eſt, legi diuinæ per omnia congruere. Sanè, qui de affectu in Deum erigendo, molliendoq. cogitat, ita compoſitus eſt, vt fidei, ſpei, charitatis, latriæ, pœnitentiæ virtutes frequenter exerceat: qui ſi in

pro-

proximos pium concipiat affe-
ctum, nullum eis damnũ inferre,
imò bonis cumulare nitetur: quod
certè bimembre ſtudium legis
totius complexio eſt. Iam verò,
quod ad leges ſpectat Eccleſię,
nauanda opera capitum paucita-
ti, quæ facilè queat mente per-
tractari, ne multitudo confuſio-
nem pariat. Et quidem, qui de
officio diuino quàm religioſiſſi-
mè perſoluendo, de ſacrificio al-
taris expiata conſcientia, quàm
poterit perfectè, immolando, de
modeſto veſtitu, frugali menſa,
pioq. conuictu egerit, & quoti-
dianis Eccleſiæ actibus intereſſe
curauerit, legum eccleſiaſticarum
fidus obſeruator erit. Profectò
eccleſiaſtici viri, quibus vita lau-
di vertitur, ſolent eo, quem indi-
camus compendio, mentem pa-
care ſuam, quod ad Eccleſię leges
attinet: neque enim ſolet cum eo

actuum Eccleſiæ quotidiano ſtudio, rectaq. vitæ inſtitutione, trãſgreſſio cohærere: præſtatq. in eum perfacilem, expeditumq. agendi modum omnia contrahere, quàm ſingula iuris canonici præcepta velle animo percurrere, ne quid peccetur. Denique quod reliquum eſt crebrę Dei memorię, & moderato alicui mortificationis exercitio animus addicendus: neque enim viri eccleſiaſtici nomine cenſendus, qui Dei frequenter meminiſſe, carnẽ ſpiritui ſubiugare, paſſionumq. ferociam lenire non fortiter enititur. Tetigimus capita doctrinæ, quæ ad vitæ perfectionem conferunt: at quotuſquiſque illa penſitat? Hominis animus à Deo excitatus immenſæ frugis ferax eſt: at ſi cultura deſit, ſyluam fundit ſenticoſam.

## *Quænam induſtria adhibenda ad prædictorum capitum obſeruationem. Cap. VIII.*

SOlerter admodùm viro eccleſiaſtico agendum, ſi velit eſſe perfectus. Duo potiſſimùm curanda, vnum, ne ſpeculetur quouſque ſit lege aſtrictus, ſed quouſque proficere valeat: alterum, ne leues culpas ſinat excreſcere, verùm recenter exortas reſecet. Primi moniti neglectus animos parùm generoſos creat: nimirum, qui cum Deo ita parcè agit, vt imperata dumtaxat præſtet, nolitq. maiora refundere, tenuiter gratus, & bonorum operum exiliter ferax eſt. Dirupit Chriſtus fontem abyſſi magnæ, dum ſanguinem profudit, cuius vel gutta vna ſordes humani generis eluiſſet: quocirca non decet virum eccleſiaſticum terminos ſibi præ-

figere,

figere, nolleq. in apertum pietatis campum fidentiùs procurrere. Alterum verò, quod erga leuia errata hortamur, ſtrenuè obeundum; vt leuiores culpæ puta linguæ, oculorum, tanquam tenellæ adhuc ſpinæ, antequàm obdurentur, & ſylueſcant, mortificationis falce præcidantur: ne virum, qui diuinæ maieſtati tam frequenter aſſiſtit, turpiter deforment. Solent hortorum cultores è plexilibus plantis aquilas, leones, aliaq. id genus animantia egregiè fingere, ac Principibus eò amœnitatis gratia diuertentibus iucunda ſpectacula exhibere. At ſi poſtero die redeas, ipſa plantarum detonſarum pullulatio, aquilarum, & leonum effigiem obducit, atque confundit: vt operis topiarij curatori neceſſe fiat, forfices in dies ſingulos exercere, vt formata ſeruet, vel deformata reformet. Hic la-

ɔor eccleſiaſticorum, è quorum
ıſpectu ſupremus rex Chriſtus,
:anquàm è paradiſo quodam
voluptatem capit. Falx mortifi-
:ationis vrgenda, qua germina ve
:eris Adæ paſſim erumpẽtia præ-
ſecentur, ne formam virtutum di-
ıinô conſpectui gratiſſimam ob-
ıubant.

## *Concluſio.* *Cap. IX.*

EX ijs, quæ de virorum eccle-
ſiaſticorum perfectione tra-
ita ſunt, efficitur, vt ea, quæ de
'rincipibus vniuersè ſcripſimus,
:cleſiaſticis Principibus cum pe-
ıliari perfecti ſtatus obſeruatio-
: aptanda ſint: vt ſcilicet horũ
enſa ſit frugalior, aula mode-
:or, & in hunc modum totius
tæ ſeries virtutibus inſtructior,
bonorum operum ſplendore
culentior.

PARS

# PARS SECVNDA DE SVMMIS PONTIFICIBVS.

## *Pontificum ſtatus.* Cap. I.

PRincipatus eccleſiaſticus ſæculari ſublimior eſt, vnde par eſt, ſit & ſanctior. Concors ſanctorum Patrum, ac Theologorum ſententia eſt, Epiſcopos, ac proinde Pontifices ſummos eſſe in ſtatu perfectionis acquiſitę cōſtitutos: ex quo efficitur viros eſſe debere planè grandes, qui populum ſibi creditum hierarchico more illuminare, purgare, ac perficere valeant: quod ſanè non minùs tremendum, quàm excelſum eſt.

*Antiſtitum creatio.* Cap. II.

SAne cum ad ſtatum Antiſtitum, & vitæ perfectio, & exacta rerum intelligentia requiratur, neceſſe eſt anteactæ vitæ integritatem, partamq. labore doctrinam, & prudentiam perſpicaciter explorare, vt dignè præfici, ac præeſſe valeāt. Res profectò hæc pondus habet immenſum ad Ecclesiæ bonum mirificè augendū. Huc preces, & ſacroſanctum altaris ſacrificium, rebus quoque pro humano captu, diligētiſſimè perquiſitis.

*Cura erga Epiſcopos.* Cap. III.

POntifex ſummus ex officio agit, dum creatis Epiſcopis ſeriò admodum Eccleſias excolendas, vti ſponſas commendat: dum

inſtruit, hortatur, ſolatur: dum ad libertatẽ, immunitatemq. eccleſiaſticam, pro virili, tuendam animos addit. Iam verò eccleſiaſticæ diſciplinæ mirificè fauet, dum quos extra Eccleſias ſibi creditas vagari nouit, vel hortatu, vel imperio reducit. Etenim ad hunc modum, magna pontificiæ ſollicitudinis parte ſe ipſum exonerat.

## *Cura erga Religioſos. Cap. IV.*

COenobiticæ vitę cultores, qui legum cuſtodia florent, Eccleſiam mirificè illuſtrant doctrina, vitęq. integritate, quæ mores apoſtolicos facilè repræſentat. Quapropter Reip. chriſtianę operępretium ſit maximum, dũ ſummus Pontifex eam Eccleſię partem excolere, perficereq. conatur. Et quidem, quod ad rei modum

ſpectat, non eſt adeò peruium, decernere quid facto opus ſit, ad monaſticam diſciplinã collapſam reparandã, & reparatam, ſeu primæuo ſtatu florentem alendam. Conſilio & auctoritate opus eſt.

## *Cura erga Concionatores.* *Cap. V.*

NOn leuiter à concionatoribus multis erratum eſt, qui legatione Chriſti parùm grauiter, ſanctèq. funguntur. Non ſunt vſque adeò multi, qui Ieſum Chriſtum crucifixum, Dei ſapientiam, & virtutem prædicent. Malum hoc nimis vulgatum eſt, & pontificiam auctoritatem, cenſuramq. requirit. Modus prædicandi apoſtolicus eſt, ſtylo temperato doctrinam tutam, ac fructuoſam, ad mores corrigendos, ad vitia extirpanda, ad virtutes

acquirendas, vitamq. in caſto Dei timore, & amore ducendam, oculis non in propriam exiſtimationem, aut quęſtum, ſed in Dei gloriam, & animarum ſalutem intentis, exponere. Apoſtolicæ Sedis eſt, de abuſibus extirpandis cogitare.

*Cura erga Sacramenti pœnitentiæ miniſtros. Cap. VI.*

ALtum eſt Sacramenti pœnitentiæ ſecretum: at per indicia minimè leuia multiplex ſe prodit abuſus. Profectò legitimus eius vſus, bonum immenſum eſt. Ecquid enim maius, aut mirabilius, quàm criminum expiatio, diuinæ pacis conciliatio, vitæ correctio, & religioſa animi aduersùs tentamenta, & caſus futuros obfirmatio. Etenim bonum hoc multiplex, vniuerſis mundi theſauris pretioſius, in Sacra-

mento pœnitentiæ, ſi rectè miniſtretur, tanquàm in ſolo pingui enaſcitur, atque ſuccreſcit. Quapropter vigilanter prouidendum, ne tanta ſeges intereat.

*Cura erga Academias. Cap. VII.*

QVanti referat, de corrigendis academijs conferre, controuerſiæ inter catholicos quoque doctores hac ætate coortæ ſatis euincunt: prçterquàm quòd neſcio qualis iam in academias florentiſſimas abuſus irrepſit, qui ſuperuacaneis ſubtilitatibus tempus, vitamq. conſumit. Norunt hoc viri periti, qui penitus dolent, ingenia prçclara, quæ inſigni Eccleſiæ ornamento forent, ætate florida, nihil fere ſolidum addiſcere: ſed plurimùm operæ, ac ſollicitudinis ponere in ijs diſcendis, quç breui memoria excidunt, & quæ tametſi diutiſſimè perdu-

rarent, vſui nulli deſeruirent. Eſſet ergo appoſitiſſimum prouidentię genus, ſi ſuperflua, & nimis ſubtilia reſecarentur, eaquè prælegerentur, quæ grauia, ſancta, & vtilia eſſent ad ſacras conciones, ad Sacramentorum miniſterium, ad conſcientiæ inſtructionem, litiumq. diremptionem, & ad infidelium errores cum catholicarum veritatum aſſertione refellendos. Profectò ſi chriſtianis academijs modus pręſcriberetur, executione rectoribus demandata, res Deo grata, Eccleſiæq. toti ſalutaris fieret: cuius vtilitas in poſteros permanaret.

## *Cura erga infideles*. *Cap. VIII.*

AD Summi Pontificis ſpectat officium, ita Eccleſiæ regnum moderari, vt quoad poſſit, illud amplificet, & ijs, qui iacent in vmbra mortis, candidiſſimam

fidei catholicæ lucem oſtentet. Pijſſimum hoc, & planè apoſtolicum munus eſt, vt qui Chriſti vices in orbe terrarum gerit, ad Chriſti ipſius imitationem, ſeligat, horteturq. idoneos viros, qui ea legatione ſtrenuè fungantur, ne tam numeroſam generis humani partē infernus abſorbeat.

## *Admonitio. Cap. IX.*

PRoferri poſſent, & alia, quę inter Summi Pontificis curas meritò recenſentur: at quæ tetigimus, nec pauca, nec leuia ſunt; multaq. ex ijs, quæ huc poſſent adijci, ad capita vniuerſis Principibus communia pertinent: poterũtq. è libro primo, ſuis è ſedibus peti, & ad praxim pro temporum, rerumq. ratione, iuxta Summorum Pontificum ſapientiam, prudentiſſimumq. iudicium deriuari.

# PARS SECVNDA de Cardinalibus.

## *Officia Cardinalium recenſentur. Cap. I.*

FERT animus Cardinalis officia omniũ grauiſſima breuiter attingere, quę ſi Epiſcopatus annumeretur, ſunt omnino tria. Primum ad curam pertinet cum Epiſcopis communem, ſecundum ad iuſtã Summi Pontificis creationem, tertium ad conſilia, quibus vniuerſalis Eccleſiæ bono proſpicitur. Et quidem quod ad primum ſpectat caput, non huc inſerendum, cùm propriam ſedem in Epiſcoporum tractatu inferius ſubijciendo habeat: quæ verò ad capita duo poſteriora

conducunt,mox tradenda,vt idoneus ordo ſeruetur.

*Summi Pontificis creatio perpenditur.* *Cap. II.*

NEmo adeò rationis expers credẽdus,qui Summi Pontificis creationem,rem omninò grauiſſimam,minimè cenſeat. Agitur quippe de homine vno vniuerſis mortalibus præponendò, Deiq. vices in terrarum orbe geſturo; in quo proinde ſumma ſapientia,& penè diuina vitæ integritas,debet ineſſe,ac Reip. oculis prælucere. Ex quò planè liquet, teterrimum eſſe piaculum, ſi electores rationibus parum ſpiritualibus ducti,eum,qui præeſſe non deberet,ad eam ſublimitatem efferant. Sint ergo Principes purpurati æqui communis boni æſtimatores, vt Chriſti re-

gnum amplificent. Si enim in re tam excelſa, propria bona communibus poſthabeant, clementiſſimus Deus ampla mercede opus egregium remunerabit, & aduerſa quæq. depellet.

*Conſiliarij officium æſtimatur.*
*Cap. III.*

Res planè maxima, & honorificētiſſima eſt, ſummo Pontifici a conſilijs eſſe. Nimirū agitur de vniuerſę Eccleſiæ gubernatione, quæ, ſi proſperè cedat, bona parit immenſa. Quocirca officium Cardinalis in re tanta eſt, omnia animo circumſpicere, attentè contemplari, libros euoluere, ſeniores conſulere, lumen cœleſte ſacrificio, ac prece poſtulare, & quod demum Reip. chriſtianæ ſalubrius arbitrabitur, ſyncerè, ac modeſtè in ſacro ſenatu de-

pro-

promere. Quæ quidem capita, ad munus ſuum varijs in Congregationibus exactè obeundum, à Cardinalibus obſeruanda ſunt. Qua in re longiùs minimè procurram cùm de ſententia dicenda, modoq. tenendo, ab alijs diſertè ſcriptum ſit.

*Admonitio. Cap. IV.*

PLurima, quæ ad boni Principis formam, familię, populiuè gubernationem proferri poſſent; libro iam primo vniuersè tradidimus: quamobrem ea repetere, ſuperuacaneum eſt.

# PARS TERTIA. de Epiſcopis.

## *Commendatur fides in Eccleſiam ſibi creditam. Cap. I.*

PATRES, qui clariſſima Dei luce ſplenduerunt, quique poſſent orbem terrarũ humeris geſtare, Epiſcopatum detrectarunt, donec imperio coacti onus tremendum generoſè ſubierunt. Hoc altè imprimendum; electuſq. iam Epiſcopus admonendus, ex quo ſibi credi cernit Eccleſiam, ſe caſtiſſimam ſponſam ducere cenſeat, pro cuius pudore tuendo, ſi opus fuerit decernat occumbere. Hoc animo verſet, identidemq. pertractet, ſponſæq. ſuæ pio amplexu ſocietur.

## *Epiſcopi prudentia bimembris.*
## *Cap. II.*

GRex Epiſcopo commiſſus in partes duas diſtribuitur, in clerum ſcilicet, ac populum: & vtriquè pars prudentiæ non exigua impendenda eſt. Principiò ergo Epiſcopus in ſuam prouinciam ingreſſus, ſignis beneuolentiæ quàm maximis ſtudeat omnes demereri. Nihil enim egregium præſtabit, niſi animos ſibi conciliet, quod è primo acceſſu potiſſimùm pēdet. Affectus quippe, qui ad ingreſſum prælati primùm excitatur, animum imbuit, vnde difficulter poſſit expelli. Neque in hoc doctrinæ genere, vlla inter ſapientes controuerſia eſt. Interim verò, dum Epiſcopus vniuerſalia omnibus amoris ſigna exhibet, clerum, populumq.

attentè conſideret : diſpiciatq. mores hominum, vt prouidentiam, & curam attemperet , omneſq. quoad per eum fieri poterit, Ieſu Chriſto lucretur.

## *Cleri gubernatio . Cap. III.*

EPiſcopus, vt parens, liberos habet duos, è quibus clerus, vti primogenitus exiſtimandus eſt; atque idcirco prima in eo exornando cura ponenda . Præcaueat ergo Epiſcopus omnem in clero diſcordiam:ſenſimq. ſingulos demulcens patienter initio ferat multa, quę temporis excurſu prudentiùs, & efficaciùs corriget. Sit exemplar cleri inculpatè admodùm agens, vt quæ perſuadere cupit, imprimantur altiùs, & ſine reniſu accipiantur. Non agat imperiosè, cum ſenibus præſertim, quos vti fratres debet familiariter excipere. Si quando

ad clerum verba faciat ſeorſim., ita vitia, ſi quæ deprehenderit, reprehendat, vt eorum execretur turpitudinem, homines verò ſe impenſiùs amare ipſa in concione demonſtret. Abuſus, qui obrepere ſolent, ita extirpet, vt feſtinata vis non inferatur: conſtat enim, quæ violenta ſunt, animos vehemenrer auertere. Conſuetudines nouas, quæ ad pietatem conferunt, cuiuſmodi eſſet orationis ſtudium, ſic inducat, vt priùs animos antiquiorum è clero priuatis, ſuauiſſimiſq. colloquijs emolliat, viamque per hos ipſos aperiat ad cæteros iuniores permouendos. Catalogum cleri ad ſuum Epiſcopatum pertinentis apud ſe in promptu habeat: & ad ſacros ordines, Sacramentorum miniſterium, ſacrasq. conciones, quos veris virtutibus prȩditos nouerit, admittat, reli-

quoſq. reijciat. Caueat ne præficiat immeritos Eccleſijs, ſed optimos quoſque, ac probatiſſimos. Eos verò ad ſuam familiam cooptet, qui cum morum integritate, doctrina quoque præſtent, quibus ad officia pietatis familiarius vtatur. Vicarium ſacrorum Canonum bene peritum exquirat, qui cauſas rectè, ac breuiter expediat, & integerrimus ſit. Denique clerum omnem, ad eccleſiaſticæ diſciplinæ obſeruationem, ad horas præſertim canonicas, & ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium præſcriptis ritibus religioſiſſimè offerendum, vitamq. bonis moribus exornandam, quàm efficaciter poſſit, inducat.

*Cura erga Religioſos. Cap. IV.*

SI clauſtra exempta, & vitæ ſanctimonia conſpicua ſint,

erit ad rem, cum ijs humaniſſimè agere, viros inde ad ſacras conciones,& conſilia,cæteraq. pietatis officia petere,nihilq. illis moleſtiæ irrogare: imò priuilegia eorum intacta tueri. Si flos primæuus in clauſtris exēptis emarcuerit, ſuauiter admodùm Epiſcopus prælatos admoneat, quæ ſunt arguenda,vel corrigenda ipſi per ſe ipſos præſtent,ne malum è ſeptis eorum erumpens externa correptione compeſcendum ſit. Caueatq. ne nimis feſtinet, & prælatos proprios, vbi lentè procedunt,patienter, ac identidem hortetur. Si clauſtra Epiſcopo ſubſint, adhibita lenitate apoſtolica erudiat,ſoletur,arguat,obſecret,increpet,meritaq. diſcernat: bonis, ac modeſtis vtatur, cæteroſq. coërceat. Vniuersè autem enitendum,vt legum propriarum cuſtodia in quouis monaſtico

coetu

cœtu vigeat: & quod eſt collapſum per eiuſdem inſtituti prælatos,quoad fieri poſſit,reparetur: modus quippe hic,vt ſuauior, ita efficacior eſt.

*Cura ſacrarũ Virginum.* Cap.V.

SExus fragilitas, & leuitas peculiares prudentiæ modos repoſcit ad Virgines ſacras, quas moniales appellamus, regendas, quemadmodum experti viri benè norunt. Ijs ergò, quæ cum religioſis viris ſolent eſſe communia,prætermiſſis,Epiſcopus in receptione monialium perſpicaciter omnia circumſpiciat, & temperet: nam quod viris profeſſio, fœminis penè receptio eſt,raroq. locus expulſioni patet. Exploret, an regulæ, conſtitutionumq. ſenſum, & obligandi vim perſpectam habeant,& ſpontaneis exercitijs anteponant. Nimirum in

hoc genere grauiter errari ſolet, proprij ſtatus ignorantia impunè graſſante. Prouideat idoneos prędicatores, & Sacramenti pœnitentiæ miniſtros, qui gentem fragilem inſtruant, & ſolentur, exercitiaq. nonnulla ſpiritualia, puta orationis, & internorum actuum ad virtutes parandas, & paſſiones reprimendas attinentium, in morem inducant. Quod vt efficiat, multa dexteritate, animi ad pietatem flectendi ſunt.

## *Modus agendi cum populi proceribus. Cap. VI.*

NEque rara, neque leuis eſſe conſueuit inter Epiſcopos, & vrbium proceres controuerſia. Epiſcopus ergò tempus anteuertat, & antequàm grande hoc malum ingruat, humaniſſimis officijs procerum beneuolentiam,

ita captet, vt ſibi omnino perſuadeant, optare ſe illis perplacere, neque velle eorum poſtulatis, ſi ſint honeſta, renuere. Officijs igitur initio inſiſtendum, vt animi benè afficiantur. Quòd ſi officia diù impenſa, & lenitas repetita minimè proſint, ita cõmuni Eccleſiæ bono proſpiciendum eſt, vt libertas, & immunitas eccleſiaſtica nulla ex parte lędatur.

*Cura Epiſcopi erga Sacramentorum miniſteria. Cap. VII.*

IMmenſi certè emolumenti eſt ſolliciti Epiſcopi prouidentia idoneo Sacramentorum vſui deſtinata. Cùm enim ad expianda peccata, nouaſq. diuinæ gratiæ acceſſiones acquirendas Deus ea remedia prouiderit; perſpectum eſt, impenſam ijs remedijs curam ad ſalutem hominum ſummopere conferre. Qua propter nauanda

opera

opera eſt, vt Sacramenti pœnitentiæ in primis, & Euchariſtiæ miniſtri, ea vitæ puritate niteant, eaq. doctrina excellant, quæ fructum vberrimũ promittat. Huc ſpectat accuratum miniſtrorum examen, antequam ad munus obeundum admittantur, & ſcrutinium quoddam fidei, quam ſeruant in officio explendo, poſtquàm admiſſi ſunt. Huc quoque conducit exercitium multiplex, quod ſtatis diebus in morem ſolet induci, vt inter miniſtros Sacramentorum, de munere rectè gerendo, de cæremonijs ſacris exercendis, de virtutibus parandis, de vitijs euellendis, de vitæ perfectione promouenda conferatur. In hunc quippe modum edifcuntur, quæ ad hominum ſalutem, vti par eſt, procurandam, ab idoneis miniſtris explorata decet haberi.

*Cura*

### *Cura Epiſcopi erga doctrinæ chriſtianæ rudimenta.* *Cap. VIII.*

DIci non poſſit, quàm ſit Deo accepta Epiſcoporum ſedulitas in ætate tenella chriſtianæ fidei veritatibus inſtruenda, quod enim prima ætas primùm concipit, diutiſſimè ſeruat. Erit autem ad exercitij huius pietatem alendam opportunum, ſi Epiſcopus ipſe interſit, & auctoritate ſua animos ad Dei cultum excitet, adulto quoque populo ad rem illam ſalutarem conuocato. Vbi ſolerter curandum, ne concio tædio afficiatur, ordine rerum perturbato, aut parùm concinnè digeſto. Huc facit genus quoddam temperamenti rerum vtilium, ac ſuauium alternè ſuccedentium. Enitendum quoque, vt in publicis hu-

iuſmodi actibus non doceantur rudimenta fidei catholicæ tantùm, ſed verarum quoque virtutum fundamenta iaciantur, vt pueritia timori Dei,ac diuinæ legis cuſtodiæ aſſueſcat.

*Cura Epiſcopi erga templorum munditiam. Cap. IX.*

NIhil turpius, quàm ea, quæ munditia ſumma nitere deberent, cuiuſmodi ſunt templa, altaria,ſacra vaſa, ſacræ veſtes,ac lintea, per incuriam prælatorum ſordère. Cum enim res diuinæ maieſtatis cultui adeò proximè addictæ ſint, ipſi maieſtati irrogatur iniuria: præterquàm quòd ægrè creditur, cum pijs, & puris bonorum Epiſcoporum mentibus ſordes eas poſſe cohærere. Quocirca boni Epiſcopi partes ſunt, hæc ſedulò admodùm curare: neque ita Eccleſiarum rectoribus

ea credere, vt eadem ipſe non crebrò recenſeat, nitida laudet, ſordida execretur, & mundari præcipiat.

## *Cura Epiſcopi erga orationem, quæ mentalis appellatur.* Cap. X.

PRæſules, qui animarum ſaluti ſeriò ſtudent, non id dumtaxat enituntur, vt vitia extirpent, & animos in diuinæ gratię ſtatum aſſerant, per Sacramentorum receptionem, & vſitata ſacrarum concionum auxilia: ſed feruntur vlteriùs, mores nouos, qui ad pietatis incrementa conferant, inducentes, vt in Eccleſia, quam curandam ſuſcepere, nonnulli ſingulari vitæ ſanctitate præcellant. Huc impendio ſpectat diuinum orationis exercitium, à Scriptura ſacra, & Patribus miris præco-

nijs commendatum:quo qui religiosè vtuntur, compendio quodam,breuiùs multò,quàm vulgares alij,longam perfectionis viam cumulata pietate percurrunt: quod Epiſcopis, viris nempe ſapientibus,compertum eſſe,omnino credendum eſt. Quamobrem expediret maximè,animos populi permulcere ad huiuſmodi bonum conquirendum. Eſſet autem ad rem, locum aliquem cõmodum, & ab ſtrepitu quouis remotum, deſignare, in quem, qui vellent, comiter allecti ſtatis diebus conuenirent, vt habita ibi concione, quæ materiam meditandi ſuggereret, per horam circiter dimidiam,ſilentes orare condiſcerent. Res fortaſſe videbitur ardua: verùm fructu adeò ſublimi compenſatur, vt meritò viri ſuæ ſalutis cupidi eam difficultatem contemnant. Sperandum autem,

fore non paucos, qui, ſi ſemel aſſueſcant, firmiſſimè cœptis inſiſtant.

## *Cura Epiſcopi in pauperes. Cap. XI.*

LIbro 1. de Principum miſericordia ſcripſimus, quod Epiſcopi, vti pauperũ patres, pro ſuo munere cupidè arripiant, neceſſe eſt. Hic verò memoria excitatur, & miſericordiæ ſtudiũ ad modos miſerendi inueniendos intentum ſuadetur. Solẽt certè Epiſcopi miſerendo celebres apud ſe catalogum inopum in promptu habere, vt non rogati modò, ſed tãquàm rogantes, quod eſt nobiliſſimum eleemoſynæ genus, maximã ſuorum redditũum partem erogent. Quòd quàm ſit Deo acceptum, quàm ad populi exemplum, & ad cæterorum prelatorum æmula-

tionem appoſitũ, quilibet bonus exiſtimator, per ſe ipſum dijudicet; res quippe perſpicua eſt.

## *Commendatur præſentia Epiſcopi in Eccleſia ſibi credita. Cap. XII.*

ILlud prçſentię genus, quod eccleſiaſtico nomine reſidẽtiam appellamus, adeò Epiſcopi proprium eſt, vt abſque illo, vix prælationis ratio illæſa conſiſtat: nam vt cætera ſileam, iuri diuino, à quo Epiſcoporum dignitas ducit originem, maximè conſentanea eſt ea præſentia: quæ, ſi deſit, grex Chriſti paſtu ſuo deſtituitur. Quomodo enim paſcet, qui abeſt? At dices: Paſcet per aliũ fidum adminiſtrum: ſed profectò paſtori ipſi hæc functio demandata eſt. Et quidem, vt quæ de iure diuino aſſeruntur ſileam, ex-

ploratum eſt, Epiſcopo abſente, omnia languere, atque concidere: quemadmodum ductore militum longè agente, exercitus leui quoque hoſtium terrore perculſus in fugam vertitur, aut certè infœliciter occumbit.

## *Admonitio. Cap. XIII.*

PAuca hæc ad Epiſcoporum memoriam iuuandam digeſta pro inſtituto noſtro ſat erunt. Cætera, quæ vſui eſſe poſſint, è libro primo, vbi cauſa Principum communis agitur, petantur, vt lectori libebit.

PARS

# PARS QVARTA.

## De ſpiritualibus Principum exercitijs.

### CONSILIVM.

DEcet ſanè Principes bonos ſpiritualium exercitiorum Principatui congruentium cura plurimorum meritorum, internæ lucis, ac lætitiæ Deo afflante feraciſſima. Hanc æſtiment, &, ſi placeat, ſubiecta monita obſeruare aſſueſcant.

*Directio actuum mane ſummo exercenda.* Cap. I.

CLementiſſime Deus, immortalis, ac ſempiterne Rex, me totum, cogitationes, verba, & opera mea, quæ

hodie variè ſuccedent, vnigeniti filij tui, ac Redemptoris mei Ieſu Chriſti, Beatiſſimæ Virginis Mariç, omniumq. Sanctorum meritis ſociata offero diuinæ maieſtati tuæ, vt cedant in eius gloriam, animç meæ ſalutem, rectáq. Reip. ac familiæ gubernationem. Oro te Altiſſime, quanta poſſum animi demiſſione, efficias me tuæ infinitæ bonitatis participem, ne vllo peccato fœder, tuæq. ſapientiæ, ne in adminiſtratione Reip. aberrem.

### *Orandi modus per horam ſaltem dimidiam. Cap. II.*

Inſtructio à viro rerum internarũ perito petẽda.

PRinceps in abditiſſimo totius aulæ loco, coram effigie Ieſu Chriſti crucifixi, genua flectens, corpuſq. totũ modeſtiſſimè coaptans, leget aliquid è pio aliquo libro, quod ſit ad exercendam

me-

meditationem opportunum: cuiuſmodi ſunt meditationes de Chriſti paſſione, vel de quatuor nouiſſimis. Et breui lectione expleta, punctum illud, quo ſe fortiùs moueri animaduertit, altè conſideret, atque pertractet; vt animus rationibus conuictus, firmiter decernat Deo ſubdi, ac inſeruire. Tunc, vbi affectus exarſit, multiplices actus virtutum, puta fidei, ſpei, amoris, contritionis producendi; quibus animus intra ſe colligitur, ac vires concipit, ne per euentus varios, & negotiorum volumina, cum iactura ſpiritus diſſipetur. Vnde ad ſæcularia prælia fortis, armatuſq. procedit.

## *Sacrificium Miſſæ.* Cap. III.

SI, per Remp. liceat, expedit ſanè vt Princeps, ſi ſacerdos ſit,

ante negotia ſacrificet, ſecùs Miſſæ ſacrificio interſit: vt vi hoſtiæ illius, qua nihil acceptius æterno Patri immolari poteſt, impetret ſpiritum ſapientiæ, vt diſcernat; & vires, vt quæ diſcreuerit, expleat. Offeret ſe ipſum vnà cum ſacroſancta hoſtia: & cæremonijs ſacris intentus Deum enixè precabitur, animum ſuum, & Reip. corpus expiet, & temporalem gubernationem ad ſalutem populi ſempiternam dirigat. Atque in hunc ſcopum, vti poterit huiuſmodi prece:

Clementiſſime Deus, offero diuinæ maieſtati tuæ hoſtiam incruentam Vnigeniti filij tui, ac me ipſum altiſſimo ſacrificio cõiunctum, vt tibi placeam. Oro te quàm impensè poſſum, emundes, ac illumines me famulum tuum, vt bene diſcernam, & corrobores, vt inuictè exequar. Expietur,

precor te, animus meus, & Reſp. vniuerſa per ſacrificium hoc tuæ maieſtati gratiſſimum, & gubernatio temporalis ad æternam ſalutem dirigatur.

*Spiritus directio dum ad negotia gerenda proceditur. Cap. IV.*

POſt matutinam directionem illam, quam capite primo præfiximus, pius quilibet Princeps, dum negotia inchoat, debet in Deum mentis oculos attollere, precariq. adſit diuina bonitas, & ſapientia, ne quid à pietate, ac iuſtitia exorbitet. Qua certe in re affectus præſertim commendatur: nam quod ad actus pertinet, breuiſſima, faciliimaq. ſpiritus directione vtendum eſt, cuius formula hæc eſſe poterit: Exercenda mane ac veſperi.

Clementiſsime Deus, maieſtatem tuam ſupplex oro, adſit mihi

diuina bonitas tua, ne in hoc a-
ctu peccem, & ſapientia, ne à re-
cto aberrem, ſed per omnia tibi
placeam.

*Pius modus ad temperantiam exercendus. Cap. V.*

Exercendus manè ac Veſperi.

NEgotijs abſolutis itur ad mẽ-
ſam, quæ chriſtiana frugali-
tate, ac Dei timore temperanda
eſt. Præmiſſa ergo benedictione,
breuiſsimo mentis aſcenſu Prin-
ceps Deũ precetur, addat modum
animo, corporiq. vt menſę vſus nõ
ſeruiat voluptati, ſed neceſsitati;
ad vitæ labores pro ipſius gloria,
& Reip. bono ſuſtinendos, in hunc
modum:

Clementiſsime Deus, maieſta-
tem tuam demiſsè precor, conti-
neat me totum intra chriſtianæ
temperantiæ metas; vt veſcar
quantùm exigit vitæ dumtaxat

ne-

neceſsitas, ad gloriam tuam, & Reip. ſalutem exquirendam. Denique gratiarũ actio ſubijcienda.

*Examen conſcientiæ. Cap. VI.*

EXpeditis rebus omnibus, pius Princeps, antequam cubitum eat, genibus ante Crucifixi effigiem flexis, præmiſſa generali confeſsione, quę die illo egit, breuiter per tria capita cogitationum, verborum, operumq. recenſeat. Mox de bonis operibus gratias agat, de culpis veniã humillimè precetur, ac peccata præcauere conſtituat, in hanc formam:

Clementiſsime Deus, ecce hęc bona gratiæ tuæ munere operatus ſum: pro quibus immenſas diuinæ maieſtati tuæ gratias ago, vellemq. vniuerſorum Angelorũ, ac Sanctorum affectum concipere, vt te ardentiſſimè laudarem.

Ecce Domine, culpas has commiſi, quarum me pœnitet, quia tibi iniuriā irrogaui. Firmiſsimè ſtatuo, me auxilio tuo nunquam poſthac peccaturum, & culpas admiſſas pœnitentiæ Sacramento expiaturum.

Hæc ſeriò, ex animoq. dicenda: & ſtatim oratio dominica, & ſalutatio angelica recitanda, ad qualemcumq. ſatisfactionem, demum diuina miſericordia, & tutelaris Angeli cuſtodia ad caſtum ſomnum imploranda.

## *Vſus præſentiæ Dei. Cap. VII.*

HIs, quæ per ſex capita digeſſimus, ſi adiungatur vſus pręſentiæ Dei, profectò vita Principis cultu pietatis ornabitur, & Reip. ſalus augebitur. Vſum autem præſentiæ Dei, hoc loco appellamus fidam, crebramq. Dei

me-

memoriam frequentibus virtutum actibus fœcundam. Vt ſcilicet Princeps,qui vberiore,quàm alij, eget diuinæ maieſtatis auxilio,frequentiùs, quàm alij de illa cogitet, fidem,ſpem,amorem,cõtritionẽ,cæteroſq. internos actus exerceat,ſiue ſolus agat,ſiue curru cum alijs vehatur, ſiue negotia gerat. Fateor equidem curis multis, ac importunis Principes diuerti: at pro re tanta,nemo eſt, qui laborem modicum ſuſcipere non poſsit,ac debeat. Cur enim (vt hoc vtar exemplo) ſi Princeps curru vehatur,non poſsit intercalatis, ac breuiſsimis mentis aſcenſibus in Deum aſpirare, ac ſermones hominũ breuibus moris intermittere? Cur interim, dum à verbis interquieſcit,& obuia quæq. circumſpicit, non valeat his, aut ſimilibus cordis motibus vti? Credo ò Ieſu Chri-

ſte fili Dei Vnigenite, te eſſe ipſam veritatem, ſapientiam, & bonitatem. Spero, ò generis humani Redemptor, me per merita tua ita piè victurum, vt ſaluus fiam. Diligam te, ò ſummum bonum, & infinita pulchritudo, cui conſecro viſcera mea. Pœnitet me, ò Clemētiſsime, peccatorum meorum: moriar potiùs, quàm te leuiter offendam. Hæc, precor, Principes attentè conſiderent, & pro dignitate æſtiment: ne tantorum bonorum, quæ cum Dei auxilio, ſine labore, aut tædio parare valent, iacturam faciant.

*Exhortatio ad Principes, vt diuinam gratiam æquo iudicio æſtiment. Cap. VIII.*

DVm ſexti capitis verba penultima ſcriberē, cōuenit me vir quidam mihi amiciſsimus, &

rerum diuinarũ experientia clariſsimus; cũ quo, poſito calamo, verba feci, & rationem ſcripti, quod ferè abſoluebam, expoſui. Et quidem res ei in optatis erat: mecum quippe ante dies multos egerat, de inſtructione quadam Principibus tradenda, & ſtatui attemperanda, vt & ipſorum ſaluti, & Reip. gubernationi congrueret. Vt verò animaduertit, me breui ſcripto conſilia caſta complexum, vltima penè verba de examine cõſcientiæ ante ſomnum exercendo ſubtexere; monuit, hortarer Principes, quàm ſeriò poſſem, ne vnquã cum peccati mortalis conſcientia cubitum irent. Monitum certè viro cordato, idoneoq. ſalutis æternę æſtimatore dignum: cui vt à me ſatisfiat, nonnulla depromam.

Et primùm quidem (ſi qui huiuſmodi ſunt, quos duntaxat al-

loquor) miror ego viros ſapientes, ac ſempiternam pœnam horrentes, qua mente ſe ipſos adeò tepidè ament, vt ſomno indulgere audeant, ſcientes ſe potentiſsimum regem inimicum habere, ſub cuius enſe, qui ad ictum pendet, infœliciter iacent. Quo modò quieſcere poſsit corpus leuiſsimę incommoditatis impatiens, cuius animus nouit, ſi mors inopinata irruat, æterno ſe igne perenniter torquendum? At ſperant, ſe non ita repente interituros, vt pœnitentiæ Sacramento, quo expientur, tempus non ſuppetat. Verùm eſto ſperent, ſciunt profectò multos ſpe ſimili fretos à morte feſtinata correptos, fruſtra ſperaſſe quod obtenturi non erant. Cur ergo non timeant? At inquiunt, ij, quos interitus improuiſus corripuit, ſi cum alijs ea morte non interemptis comparentur, pauci

certè ſunt: ac proinde non vſque adeò formidandum. Sed rogo, paucis illis, quos cum ſubitaneo interitu tartarus abſorpſit, quid profuit eiuſmodi diſtinctio tametſi vera? Porrò, ei, qui damnatur, ſalus iuſtorum æterna libertate fruentium quid prodeſt? At nos, dicent, ad eum infœlicem numerum minimè pertinemus: ſubeſt quippe propoſitum pœnitentiæ; credendumq. Deum nobis fore propitium. Verumtamen, quomodò norunt, ſe ad eorũ non pertinere numerum, quorum auſum imitantur? Si alijs eiuſmodi propoſitum, quod prætexũt, neutiquam profuit; quo pacto credunt ſibi profuturum? An cum morte, & inferno pactum inierunt, aut Deum ita demerentur, vt, cum ſciant ſe eius inimicos eſſe, nec tam ſollicitè, vt par eſt, de amicitia recuperanda cogita-

re,

re,adhuc eis prerogatiua tempo-
ris indulgenda ſit? Quid de hu-
iuſmodi prætextibus ſentiam? Sed quid dicendũ? Porrò ſi Prin-
ceps quiſpiam ſuſpicetur regem
mortalem, cui in terrarum orbe
ſubeſt, ſibi eſſe infenſum, quamuis
ei lectus molliter ſternatur, ne-
quit præ ſollicitudine requieſce-
re: & tamen cum non per ſuſpi-
cionem, ſed per admiſſi peccati
euidentiam, catholicæ fidei cer-
titudine, ſciat Deum ſibi eſſe ini
micum, audet ſomno ſe dedere, &
abſque ſollicitudine ſtertit. Mi-
rum eſt planè prodigiũ hoc. Iam
verò ſi rationis vim expendere
libeat, meminerit lector Princi-
pum (quorum etas quoque noſtra
ferax fuit) qui cum regem ſuum,
per incogitantiam fortaſſe, offen-
diſſent, terra mariq. fugientes, in
aliorum etiam regum gratiam,
tutelamq. recepti, ad horas penè

ſin-

ſingulas mortis impetum timuerunt, aut etiam hac ipſa hora ſuperſtites timent. Ab his ego ſciſcitor, cur horrent? Cur expalleſcunt? Cur loricis onerati, ſatellitibuſq. ad cuſtodiam circumſepti incedunt? Porrò iam ab offenſi regis exceſſerunt regno, & in fidem regis æqualis, aut fortè potentioris admiſſi ſunt. Iam nox incubuit, & in aula, vel arce bene tuta oppilatis oſtijs, inter familiares verſantur. Cur ergo adhuc ad omnem ſtrepitũ expaueſcunt? Poſſunt certè illi, quod reliquum eſt vitæ in ea tutela ducere, opes ibi conquirere, ac pacatà morte defungi: neque enim rex infeſtus eò ſuum protendit imperium, & licèt id moliretur, minimè valeret. Quomodo igitur hominis vnius timor in alienum regnum irrumpit, & in arces clauſas velut fatali quadam neceſſitate pe-

netrat? Reſponſio in prõptu eſt, quia quò penetrauit commiſſæ culpæ conſciẽtia, eò & timor per. uaſit. Quin etiã peruadere opus non eſt, quaſi timor aliunde ortus in alienum tranſeat principatum: adnaſcitur quippe culpæ, aut ex ea ita naſcitur, vt nõ poſſit expelli, quantumuis inter munimenta cuſtodijs ſepta offenſor culpæ conſcius diliteſcat. Et hæc quidem nullo indigent aſſertore, qui rationibus egregiè concinnatis veritatem aſtruat, lectoriq. perſuadeat. Etſi enim lector neque Princeps ſit, neque cum Principibus agat, videt paſſim flagitioſos homines veſtimentis mutatis, confictiſq. nominibus vagã- tes, & anxiè omnia circumſpicientes, ne iudex, aut vltor improuiſus inſiliat. Rogo ergo, eccùr huiuſmodi ſceleſti homines, per momẽta fere quælibet diſtrictos en-

ſes, vel exploſas glandes pertimeſcunt? An iſti nõ poſſint, per diem ſaltem vnum tranquilla mente conſiſtere? Reſpondebunt ſanè, ſe minimè poſſe: nam cum necem commeruerint, & vltioni incertæ obnoxij ſint, nulla ratione poſſunt conquieſcere; niſi forte conſtaret, & Principem placatum eſſe, & ab eis facti rationem non exigendam: cæterùm cùm hæc minimè contingant, ſemper formidandum. O mortaliũ animos! Dicant modò, precor, orbis terrarũ Principes, ſi qui ſint, quos inimicitiæ Dei arguit conſcientia, quomodo ſine accelerata reconciliatione ſomno indulgeant. Ipſi conſcientia propria teſte, incœnati, & inſomnes cubant, quia mortali regi irrogarunt iniuriam: cœlum mutant, quia in hominem ſibi ſimilem peccarunt: & tamen ſopiuntur benè paſti, nec de re-

medio cogitãt, cùm excelſiſſimam Dei maieſtatẽ irritauerint? Quale portentum eſt hoc? Quî fieri poteſt, vt horis ſingulis diuinæ iuſtitiæ miniſtros non formident, & intempeſta nocte è lecto non exiliant, ad pœnitẽtiæ Sacramentum requirendum? Caueant, oro, viri ſapientes grande malum hoc, & ne per horas quidem paucas in peccati cæno iaceant: neque fortuitò contingere putent, quòd illuſtres viri nonnulli, qui bene valentes cubitum diſceſſere, exanimes poſtero die inueniantur. Reſpondebunt medici, corpore grãuiter affecto, ſed affectione incognita interijſſe. Profectò, quicquid de praua corporis affectione dicatur, veroſimile videtur, ob ægritudinẽ animæ in culpa mortali iacentis, diuinamq. gratiam parùm æſtimantis, nonnullos eiuſmodi vltione repentina perẽptos.

Hoc alta mente pertractent, qui cæteris ad pietatem antecellere debent. Et hactenus quidem de ſummo diſcrimine, quod viri timorati,& verè prudentes perhorreſcunt, ſcriptum eſt. At enim quamuis nihil periculi immineret, clementiſſimusq. Deus pollicitus fuiſſet, Principem ſub culpa mortali dormiẽtem ad iudicium non accerſendum; quis non apertè perſpiciat, ſtultitiæ extremæ vertendum eſſe, qui amicus Dei eſſe poteſt, vel per horam malit inimicus eſſe? Porrò infœlix hæc commutatio non poteſt viro ſapienti probari: nam præter immenſarum diuitiarum iacturam, calamitoſa ſors eſt, hominem, qui cum Dei adiutorio poſſet Dei eſſe filius, ſponte ſua fieri, vel per horam, diaboli mancipium. Et verò Princeps, qui Remp. moderatur, quid boni præſtabit Deo in-

uiſus, & vltronea peccati cęcitate obtenebratus? Quo pacto dirimet lites implexas, pacem alet, hoſtes arcebit, qui caret Dei ſapientia, pace, ac fortitudine? Sanè & ad chriſtiani nominis dignitatem tuendam, & ad Remp. piè tẽperandam, Princeps quilibet, pro diuinæ gratię dono, vel ad horam poſſidendo, millies deberet occũbere. Inter alia ergo pietatis opera, pœnitentiæ Sacramentum citiſſimè recipiat, quoties cõſcientiam grauiter læſam ſenſerit: ſibiq. perſuadeat, velocem hunc motum ad inſtaurandã Dei amicitiam deſtinatum, rem eſſe diuinæ maieſtati acceptiſsimam, ſibiq. ad vniuerſa, quæ ex officio agit, vtiliſsimã. Conſcientia, quæ culpæ aculeis excruciabatur, requieſcit: animus timore vltionis ſollicitus ſedatur: cor culpæ ægritudine languidum, ac mœſtum,

con-

conualeſcit, & exhilaratur: ſpes viget,& ad labores alacriter ſubeundos incitat: opera laborioſa, cum Dei gratia exercita,euadunt auctioris gratiæ, ac gloriæ merita: lux cœleſtis iuſti Principis mẽtem ad ius dicẽdum illuſtrat: omnia denique aduerſa conſtantiùs, & patientiùs feruntur: & in hunc modũ totus homo diuinitus proſperatur. Animaduertãt hoc viri prudentes:&,vt ſe à morte animę cum Dei auxilio præſeruent, vel, ſi lapſi ſint,quantocyus eripiant, habeant ad manum virum idoneum, qui ſit eis à ſacris confeſſionibus, cuius opera frequenter vtantur. Nihil inchoent, antequàm in Dei amicitiã aſſurgant, quæ boni conſilij fundamentum eſt. Exornent animã nuptiali diuinæ gratię veſte,qui ad populi conſpectũ precioſis veſtimentis amicti prodeunt: neque pergant ani-

mam ſordidam, & fœtentem, purpura, byſſoq. contegere. Conſiderent, amentq. ſuauiſsimam pulchritudinem animæ, quæ cœleſtis gratiæ munere fit ſponſa Ieſu Chriſti Vnigeniti filij Dei, qui ei caſtiſsimo amplexu ſociatur. Ament Angelorum, Sanctorumq. conſortium, quibus ſi charitate fœderati ſint, reciproco eorum amore, ac protectione gaudebunt. Quærant in primis regnum Dei, & iuſtitiam eius; & ita ſe cautè gerant, vt è temporali principatu, quacumque hora vocentur, in regnum, quo ſempiterno permanſurum, aſcendant.

## *Peroratio*.

HAec habui, Principes pijſsimi, quæ vobis ad propriam cuiuſque ſalutem, & communem Reip. fœlicitatem offerrem. Scri-

ptoris

ptoris vota planè immenſa ſunt; at vires exiguę. Percurrite non ſemel, quę digeſsi, vt crebra meditatione relecta generoſis animis altiùs imprimantur. Spero equidem diuinam bonitatem, ac ſapientiam candidè legentibus affuturam, vt ſcriptum hoc affectu pio elaboratum, ad politiam ciuitatis Dei, vtcumq; proficiat.

FINIS.

AΦ1
1455162

Digitized by Google

A
37.